




DÆMONIALITAS

ocabulum **Dæmonialitatis** primo inventum reperio a Jo. Caramuele in sua Theologia fundamentali, nec ante illum inveni Auctorem, qui de hoc crimine tanquam distincto a Bestialitate locutus sit. Omnes enim Theologi Morales, secuti D. Thomam, 2.2., q. 154. in corp., sub specie Bestialitatis recensent omnem concubitum cum re non ejusdem speciei, ut ibi loquitur D. Thomas, et proinde Cajetanus, in Commentario illius quæstionis et articuli, 2.2., q. 154., ad 3. dub., coitum cum **Dæmone** ponit in specie Bestialitatis; et Cajetanum sequitur Silvester, v^o Luxuria, Bonacina, de Matrim., q. 4., et alii.

2. Sed revera D. Thomas in illo loco considerationem non habuit ad coitum cum **Dæmone**: ut enim infra probabimus, hic coitus non potest in specie specialissima Bestialitatis comprehendi; et ut veritati cohæreat sententia S. Doctoris, dicendum est, quod in citato loco, quando ait, quod peccatum contra naturam, alio modo si fiat per concubitum ad rem non ejusdem speciei vocatur Bestialitas: sub nomine rei non ejusdem speciei intellexerit animal vivens, non ejusdem speciei cum homine: non enim usurpare potuit ibi nomen rei pro re, puta, ente communi ad animatum et inanimatum: si enim quis coiret cum cadavere humano, concubitum haberet ad rem non ejusdem speciei cum homine (maxime apud Thomistas, qui formam corporeitatis humanæ negant in cadavere), quod etiam esset si cadaveri bestiali copularetur; et tamen talis coitus non esset bestialitas, sed mollities. Voluit igitur ibi D. Thomas præcise intelligere concubitum cum re vivente non ejusdem speciei cum homine, hoc est cum bruto, nullo autem modo comprehendere voluit coitum cum **Dæmone**.

3. Coitus igitur cum **Dæmone**, sive **Incubo**, sive **Succubo** (qui proprie est **Dæmonialitas**), specie differt a Bestialitate, nec cum ea facit unam speciem specialissimam, ut opinatus est Cajetanus: peccata enim contra naturam specie inter se distingui contra opinionem nonnullorum Antiquorum, et Caramuelis, Summ. Armill., v. Luxur. n. 5., Jabien., eo. v. n. 6., Asten. lib. 2. tit. 46. art. 7., Caram. Theol. fundam. post Filiucium, et Crespinum a Borgia, est opinio communis; et contraria est damnata in proposit. 24. ex damnatis ab Alexandro VII.; tum quia singula continent peculiarem, et distinctam turpitudinem repugnantem castitati, et humanæ generationi; tum quia quodlibet ex iis privat bono aliquo secundum naturam, et institutionem actus venerei, ordinati ad finem generationis humanæ; tum quia quodlibet ipsorum habet diversum motivum, per se sufficiens ad privandum eodem bono diversimode, ut optime philosophatur Filiuc., tom. 2. c. 8. tract. 30. qu. 3. n^o 142.; Cresp., q. mor. sel. contro.; Caramuel. q. 5. per tot.

4. Ex his autem infertur, quod etiam **Dæmonialitas** specie differt a Bestialitate: singula enim ipsarum peculiarem, et distinctam turpitudinem castitati, ac humanæ generationi repugnantem involvit; siquidem Bestialitas est copula cum bruto vivente, ac sensibus et motu proprio prædito: **Dæmonialitas** autem est commixtio cum cadavere (stando in sententia communi, quam infra examinabimus), nec sensum, nec motum vitalem habente; et per accidens est, quod a **Dæmone** moveatur. Quod si immunditia commissa cum brutali cadavere, vel humano, differt specie a Sodomia et Bestialitate, ab ista differt pariter specie etiam **Dæmonialitas**, in qua, juxta communem sententiam, homo cum cadavere concumbit accidentaliter moto.

5. Et confirmatur: quia in peccatis contra naturam, seminatio innaturalis (hoc est, ea ad quam regulariter non potest sequi generatio) habet rationem generis; subjectum vero talis seminationis est differentia constituens species sub tali genere, unde si seminatio fiat in terram, aut corpus inanime, est mollities: si fiat cum homine in vase præpostero, est Sodomia; si fiat cum bruto, est bestialitas; quæ absque controversia inter se specie differunt, eo quod terra, seu cadaver, homo, et brutum, quæ sunt subjecta talis seminationis, specie differunt inter se. Sed **Dæmon** a bruto non solum differt specie, sed plusquam specie: differunt enim per corporeum, et incorporeum, quæ sunt differentiæ genericæ. Sequitur ergo quod seminationes factæ cum aliis differunt inter se specie, quod est intentum.

6. Pariter, trita est doctrina Moralistarum fundata in Tridentino, sess. 14. c. 5. D. Th. in 4. dist. 16. q. 3. art. 2., Vasquez, q. 91. art. 1. dub. 2. n. 6., Reginald. Valenz. Medin. Zerola. Pesant. Sajir. Sott. Pitig. Henriquez apud Bonac. de Sac. disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 2. § 3. diffic. 3. n. 5., et tradita per Theologos, quod in confessione manifestandæ sint tantum circumstantiæ quæ mutant speciem peccatorum. Si igitur **Dæmonialitas** et Bestialitas sunt ejusdem speciei specialissimæ, sufficit in confessione dicere: Bestialitatis peccatum commisi, quantumvis confitens cum **Dæmone** concubuerit. Hoc autem falsum est: igitur non sunt ejusdem speciei specialissimæ.

7. Quod si dicatur, aperiendum esse in confessione circumstantiam concubitus cum **Dæmone** ratione peccati contra Religionem: peccatum contra Religionem committitur, aut ex cultu, aut ex reverentia, aut ex deprecatione, aut ex pacto, aut ex societate cum **Dæmone** (D. Thomas, 2. 2. q. 90. art. 2. et q. 95. art. 4. in corp.); sed, ut infra dicemus, dantur **Succubi**, et **Incubi**, quibus nullum prædictorum exhibetur, et tamen copula sequitur: igitur respectu istorum nulla intervenit irreligiositas, et commixtio cum istis nullam habebit rationem ulteriorem, quam puri et simplicis coitus, qui, si est ejusdem speciei cum Bestialitate, sufficienter exprimetur dicendo: Bestialitatem commisi; quod tamen falsum est.

8. Ulterius in confesso est apud omnes Theologos Morales, quod longe gravior est copula cum **Dæmone**, quam cum quolibet bruto; in eadem autem specie specialissima peccati non datur unum peccatum gravius altero, sed omnia æque gravia sunt; perinde enim est coire cum cane, aut asina, aut equa; sequitur ergo, quod si **Dæmonialitas** est gravior Bestialitate, non sint ambo ejusdem speciei. Nec dicendum gravitatem majorem in **Dæmonialitate** petendam esse ab irreligiositate, seu superstitione ex societate cum **Dæmone**, ut scribit Cajetanus ad 2. 2. q. 154., ar. 11. § ad 3. in fine, quia hoc fallit in aliquibus **Succubis** et **Incubis**, ut supra dictum est; tum quia gravitas major statuitur in **Dæmonialitate** præ Bestialitate, in genere vitii contra naturam: major autem gravitas in illa supra istam ratione irreligiositatis exorbitat ex illo genere, proinde non facit in illo genere, et ex se graviorem.

9. Statuta igitur differentia specifica **Dæmonialitatis** a Bestialitate, ut gravitas illius percipiatur in ordine ad pœnam de qua principaliter nobis tractandum est, est necessarium inquirere quotupliciter **Dæmonialitas** accidat. Non desunt qui sibi nimis scioli negant quod gravissimi Auctores scripsere, et quod quotidiana constat experientia, **Dæmonem** scilicet tum **Incubum**, tum **Succubum**, non solum hominibus, sed etiam brutis carnaliter conjungi. Aiunt proinde esse hominum imaginationem, phantasmatis a **Dæmone** perturbatis læsam, seu **Dæmoniaca** esse præstigia: sicuti etiam **Sagæ**, seu **Striges**, sola imaginatione perturbata a **Dæmone**, sibi videntur assistere ludis, choreis, conviviis, et conventibus nocturnis, et carnaliter **Dæmoni** commisceri; nullo vero reali modo deferuntur corpore ad ejusmodi loca, et actiones, prout textualiter dicitur in quodam Capitulo, ac duobus Conciliis. Cap. Episcop. 26. q. 5., Conc. Ancy. c. 24., Conc. Rom. 4. sub Damaso, c. 5. apud Laur. Epitom. v^o **Saga**.

10. Sed non negatur, quin aliquando mulierculæ, illusæ a **Dæmonibus**, videantur nocturnis **Sagarum** ludis corporaliter interesse, dum tamen sola imaginaria visione ipsis hoc accidit: sicut etiam in somnis videtur nonnullis cum fœmina aliqua concumbere, et semen vere excernitur, non tamen concubitus ille realis est, sed tantum phantasticus, paratus non raro per illusionem **Diabolicam**; et in hoc verissimum est quod habent citatum Capitulum et Concilia. Sed hoc non semper est; sed ut in pluribus, corpore deferuntur **Sagæ** ad ludos nocturnos, et vere carnaliter corpore conjunguntur **Dæmoni**, et **Malefici** non minus **Dæmoni Succubo** miscentur, et hæc est sententia Theologorum, et jure consultorum Catholicorum, quos abunde citat **Frater Franciscus Maria Guaccius** in suo libro intitulato **Compendium Maleficarum**; Grilland. Remig. Petr. Damian. Sylvest. Alphon. a Cast. Abul. Cajet. Senon. Crespet. Spine. Anan. apud **Guaccium, Comp. Malef.**, c. 15. § Altera, quam verissimam... n. 69. lib. p.; quæ sententia confirmatur decem et octo exemplis, ibidem allatis et relatis per viros doctos et veridicos de quorum fide ambigendum non est, quibus probatur **Maleficos** et **Sagas** corporaliter ad ludos convenire, et cum **Dæmonibus Succubis** et **Incubis** corporaliter turpissime commisceri. Et pro omnibus sufficere debet auctoritas Divi Augustini, qui loquens de concubitu hominum cum **Dæmonibus**, sic ait lib. 15. de Civitate Dei, c. 23.: «Et quoniam creberrima fama est, multique se expertos, vel ab eis qui experti essent, de quorum fide dubitandum non est, audivisse confirmant, Sylvanos et Faunos, quos vulgo **Incubos** vocant, improbos sæpe exitisse mulieribus, et earum appetiisse et peregissee concubitum. Et quosdam **Dæmones**, quos Dusios Galli nuncupant, hanc assidue immunditiam et tentare et efficere, plures talesque asseverant, ut hoc

negare impudentia videatur.» *Hæc Augustinus.*

11. Prout autem apud diversos Auctores legitur, et pluribus experimentis comprobatur, duplici modo *Dæmon* hominibus carnaliter copulatur: uno modo quo *Maleficus* et *Sagis* jungitur, alio modo quo aliis hominibus minime *Maleficus* miscetur.

12. Quantum ad primum modum, non copulatur *Dæmon Sagis*, seu *Maleficus*, nisi præmissa solemnī professione, qua iniquissimi homines *Dæmoni* addicuntur; quæ professio, ut ex variis Auctoribus referentibus confessiones *Sagarum* judiciales in tormentis factas, quas collegit *Franciscus Maria Guaccius, Comp. Malef.*, c. 7., lib. 1., consistit in *undecim ceremoniis*.

13. *Primo*, ineunt pactum expressum cum *Dæmone*, aut alio Mago seu *Malefico* vicem *Dæmonis* gerente, et testibus præsentibus, de servitio *Diabolico* suscipiendo: *Dæmon* vero viceversa honores, divitias, et carnales delectationes illis pollicetur. *Guacc. loc. cit. fol. 34.*

14. *Secundo*, abnegant catholicam fidem, subducunt se obedientiæ Dei, renuntiant Christo, et protectioni Beatissimæ Virginis Mariæ, ac Ecclesiæ omnibus sacramentis. *Guacc. loc. cit.*

15. *Tertio*, projiciunt a se Coronam, seu Rosarium B. V. M., Chordam S. P. Francisci, aut Corrigiam S. Augustini, aut Scapulare Carmelitarum, si quod habent, Crucem, Medaleas, Agnos Dei, et quidquid sacri aut benedicti gestabant, et pedibus ea proculcant. *Guacc. loc. cit. fol. 35. Grilland.*

16. *Quarto*, vovent in manibus *Diaboli* obedientiam, et subjectionem, eique præstant homagium et vassallagium, tangendo quoddam volumen nigerrimum. Spondent, quod nunquam redibunt ad fidem Christi, nec Dei præcepta servabunt, nec ulla bona opera facient, sed ad sola mandata *Dæmonis* attendent, et ad conventus nocturnos diligenter accedent. *Guacc. loc. cit. fol. 36.*

17. *Quinto*, spondent se enixe curaturos, et omni studio ac sedulitate procuraturos adducere alios mares et fæminas ad suam sectam, et cultum *Dæmonis*. *Guacc. loc. cit.*

18. *Sexto*, baptizantur a *Diabolo* sacrilego quodam baptismo, et abnegatis Patrinis et Matrinis baptismi Christi, et Confirmationis, et nomine, quod sibi fuit primo impositum, a *Diabolo* sibi assignantur Patrinus et Matrina novi, qui ipsos instruant in arte *Maleficiorum*, et imponitur nomen novum, quod plerumque scurrile est. *Guacc. loc. cit.*

19. *Septimo*, abscindunt partem propriorum indumentorum, et illam offerunt *Diabolo* in signum homagii, et *Diabolus* illam asportat, et servat. *Guacc. loc. cit. fol. 38.*

20. *Octavo*, format *Diabolus* circulum super terram, et in eo stantes Novitii *Malefici* et *Sagæ* firmant juramento omnia, quæ ut dictum est promiserunt. *Guacc. loc. cit.*

21. *Nono*, petunt a *Diabolo* deleri a libro Christi, et describi in libro suo, et profertur liber nigerrimus, quem tetigerunt præstando homagium, ut dictum est supra, et ungue *Diaboli* in eo exarantur. *Guacc. loc. cit.*

22. *Decimo*, promittunt *Diabolo* statis temporibus sacrificia, et oblationes; singulis quindecim diebus, vel singulo mense saltem necem alicujus infantis, aut mortale *veneficium*, et singulis hebdomadis alia mala in damnum humani generis, ut grandines, tempestates, incendia, mortem animalium, etc. *Guacc. loc. cit. fol. 40.*

23. *Undecimo*, sigillantur a *Dæmone* aliquo caractere, maxime ii, de quorum constantia dubitat. Character vero non est semper ejusdem formæ, aut figuræ: aliquando enim est simile lepori, aliquando pedi bufonis, aliquando araneæ, vel catello, vel gliri; imprimitur autem in locis corporeis magis occultis: viris quidem aliquando sub palpebris, aliquando sub axillis, aut labiis, aut humeris, aut sede ima, aut alibi; mulieribus autem plerumque in mammis, aut locis muliebribus. Porro sigillum, quo talia signa imprimuntur, est unguis *Diaboli*. Quibus peractis

ad instructionem Magistrorum qui Novitios initiarunt, hi promittunt denuo, se nunquam Eucharistiam adoraturos; injuriosos Sanctis omnibus, et maxime B. V. M. futuros; conculcaturos ac conspurcaturos Sacras Imagines, Crucem, ac Sanctorum Reliquias; nunquam usuros Sacramentis, aut sacramentalibus, nisi ad **Maleficia**; integram confessionem sacramentalem sacerdoti nunquam facturos, et suum cum **Dæmone** commercium semper celaturos. Et **Diabolus** vicissim pollicetur, se illis semper præsto futurum; se in hoc mundo votis eorum satisfacturum, et post mortem illos esse beaturum. Sic peracta professione solemnī, assignatur singulis eorum **Diabolus**, qui appellatur Magistellus, cum quo in partes secedunt, et carnaliter commiscuntur: ille quidem in specie fæminæ, si initiatus est vir; in forma autem viri, et aliquando satyri, aliquando hirci, si fæmina est **Saga** professa. **Guacc.** loc. cit. fol. 42 et 43.

24. Quod si quærat ab Auctoribus, quomodo possit **Dæmon**, qui corpus non habet, corporalem commixtionem habere cum homine? Respondent communiter, quod **Dæmon** aut assumit alterius maris, aut fæminæ, juxta exigentiam, cadaver, aut ex mixtione aliarum materiarum effingit sibi corpus, quod movet, et mediante quo homini unitur. Et subdunt, quod quando fæminæ gaudent imprægnari a **Dæmone** (quod non fit, nisi in gratiam fæminarum hoc optantium), **Dæmon** se transformat in **succubam**, et juncta homini semen ab eo recipit; aut per illusionem nocturnam in somnis procurat ab homine pollutionem, et semen prolectum in suo nativo calore, et cum vitali spiritu conservat, et **Incubando** fæminæ infert in ipsius matricem, ex quo sequitur conceptio. Ita multis citatis docet **Guaccius**, l. 1. c. 12., per totum, qui prædicta multis exemplis desumptis a variis Doctoribus confirmat.

25. Alio modo jungitur **Dæmon** tum **Incubus**, tum **Succubus**, hominibus, fæminis aut maribus, a quibus nec honorem, nec sacrificia, oblationes, **Maleficia**, quæ a **Sagis** et **Maleficis**, ut supra dictum est, præterdit, recipit; sed ostendens deperditæ amorem, nil aliud appetit, quam carnaliter commisceri cum iis quos amat. Multa sunt de hoc exempla, quæ ab Auctoribus referuntur, ut Menippi Lycii, qui fuit sollicitatus a quadam fæmina ad sibi nubendum, postquam cum ea multoties coivit; et detecta fæmina quænam esset a quodam Philosopho, qui convivio nuptiali intererat, et Menippo dixit illam esse Compusam, puta **Dæmonem succubam**, statim ejulans evanuit, ut narrat Cælius Rodiginus, Antiq. lib. 29, c. 5. Pariter adolescens quidam Scotus a **Dæmone succuba** omnium gratissima, quas vidisset, forma, quæ oclusis cubiculi foribus ad se ventitabat, blanditiis, osculis, amplexibus per multos menses fuit sollicitatus, ut secum coiret, ut scribit Hector Boethius, Hist. Scotor. lib. 8., quod tamen a casto juvene obtinere non potuit.

26. Similiter, multas fæminas legimus ab **Incubo Dæmone** expetitas ad coitum, ipsisque repugnantibus facinus admittere, precibus, fletibus, blanditiis, non secus, ac perditissimus amasius procurasse animum ipsarum demulcere, et ad congressum inclinare; et quamvis aliquoties hoc eveniat ob **Maleficium**, ut nempe **Dæmon** missus a **Maleficis** hoc procuret: tamen non raro **Dæmon** ex se hoc agit, ut scribit **Guaccius**, Comp. Mal., lib. 3. c. 8., et non solum hoc evenit cum mulieribus, sed etiam cum equabus, cum quibus commiscetur; quæ si libenter coitum admittunt, ab eo curantur optime, ac ipsarum jubæ varie artificiosis et inextricabilibus nodis texuntur; si autem illum adversentur, eas male tractat, percutit, macras reddit, et tandem necat, ut quotidiana constat experientia.

27. Et quod mirum est, et pene incapabile, tales **Incubi**, qui Italice vocantur Folletti, Hispanice Duendes, Gallice Follets, nec Exorcistis obediunt, nec exorcismos pavent, nec res sacras reverentur ad earum approximationem timorem ostendendo, sicuti faciunt **Dæmones**, qui obsessos vexant; quantumvis enim maligni Spiritus sint obstinati, nec parere velint Exorcistæ præcipienti, ut exeant a corporibus quæ obsident, tamen ad prolationem Sanctissimi Nominis Jesu, aut Mariæ, aut aliquorum Versuum Sacræ Scripturæ, impositionem Reliquiarum, maxime Ligni Sanctæ Crucis, approximationem Sacrarum Imaginum, ad os obsessi rugiunt, strident, frendent, concutiuntur, et timorem, ac horrorem ostendunt. Folletti vero nihil horum, ut dictum est, ostendunt, nec a divexatione, nisi post longum tempus, cessant. Hujus rei testis sum oculatus, et historiam recito quæ reipsa humanam fidem superat: sed testis mihi sit Deus quod puram veritatem multorum testimonio comprobata describo.

28. Viginti quinque abhinc annis plus, minusve, dum essem Lector Sacræ Theologiæ in Conventu Sanctæ Crucis Papiæ, reperiebatur in illa civitate honesta quædam fæmina maritata optimæ conscientiæ, et bonum habens ab

omnibus eam agnoscentibus, maxime Religiosis, testimonium, quæ vocabatur Hieronyma; et habitabat in Parochia Sancti Michaelis. Hæc quadam die domi suæ panem pinserat, et per furnarium miserat ad illum decoquendum. Reportat panes coctos furnarius, et cum illis grandem quamdam placentam curiose elaboratam, conditam butyro, et pastulis Venetis, ut in ea civitate solent fieri placentæ hujusmodi. Renuit illa placentam recipere, dicens, se talem nullam fecisse. Replicat furnarius, se illa die alium panem coquendum non habuisse, nisi illum quem ab ea habuerat; oportere proinde, etiam placentam a se fuisse factam, licet minime de illa recordaretur. Acquievit fœmina, et placentam cum viro suo, filia quam habebat triennem, et famula comedit. Sequenti nocte, dum cubaret mulier cum viro suo, et ambo dormirent, expergefata est a quadam tenuissima voce, velut acutissimi sibili ad ipsius aures susurrante, verbis tamen distinctis: interrogavit autem fœminam, num placenta illi placuisset? Pavens fœmina cœpit se munire signo Crucis, et invocare sæpius nomina Jesu et Mariæ. Replicabat vox, ne paveret, se nolle illi nocere, immo quæcumque illi placerent paratum exequi, esse filo captum pulchritudinis suæ, et nil amplius desiderare, quam ejus amplexu frui. Tum fœmina sensit aliquem suaviantem ipsius genas, sed tactus ita levis, ac mollis, ac si esset gossipium subtilissime carminatum id, a quo tacta fuit. Respuit illa invitantem, nec ullum responsum illi dedit: sed jugiter nomen Jesu, et Mariæ repetebat, et se Crucis signo muniebat, et sic per spatium quasi horæ dimidiæ tentata fuit, et postea abscessit tentator.

Sequenti mane fuit mulier ad Confessarium virum prudentem ac doctum, a quo fuit in fide confirmata et exhortata, ut viriliter, sicut fecerat, resisteret, et sacris Reliquiis se muniret. Sequentibus noctibus par priori fuit tentatio, et verbis, et osculis, et par etiam in muliere constantia. Hæc pertæsa talem ac tantam molestiam, ad Confessarii consultationem, et aliorum gravium virorum, per Exorcistas peritos fecit se exorcizare ad sciendum, num esset obsessa; et cum invenissent a nullo malo spiritu possideri, benedixerunt domui, cubiculo, lecto, et præceptum **Incubo** fecerunt, ne auderet molestiam amplius mulieri inferre. Sed omnia incassum; siquidem tentationem inceptam prosequebatur, ac si præ amore langueret, ploratus, et ejulatus emittebat ad mulierem demulcendam, quæ tamen gratia Dei adjuta semper viriliter restitit. Renovavit **Incubus** tentationem, ipsi apparens interdum in forma pusionis, seu parvi homunculi pulcherrimi, cæsariem habens rutilam et crispam, barbamque fulvam ac splendens velut aurum, glaucosque oculos, ut flos lini, incedebatque indutus habitu Hispanico. Apparebat autem illi quamvis cum ea alii morarentur; et questus, prout faciunt amantes, exercens, et jactando basia, solitasque preces repetendo tentabat mulierem, ut ad illius amplexus admitteretur. Videbatque, et audiebat illa sola præsentem ac loquentem, minime autem cæteri adstantes.

Perseverabat in illa constantia mulier, donec contra eam iratus **Incubus**, post aliquos menses blanditiarum novum persecutionis genus adortus est. Primo abstulit ab ea crucem argenteam plenam Reliquiis Sanctorum, et ceram benedictam, sive Agnum papalem B. Pontificis Pii V., quæ secum semper portabat; mox etiam annulos et alia jocalia aurea et argentea ipsius, intactis seris, sub quibus custodiebantur, in arca suffuratus est. Exinde cœpit illam acriter percutere, et apparebant post verbera contusiones, et livores in facie, brachiis, aliisque corporis partibus, quæ per diem unum, vel alterum perdurabant, mox in momento disperebant contra ordinem contusionis naturalis, quæ sensim paulatimque decrescit. Aliquoties ipsius infantulam lactentem cunis eripiebat, et illam, nunc super tecta in limine præcipitii locabat, nunc occultabat, nihil tamen mali in illa apparuit. Aliquoties totam domus supellectilem evertibat; aliquoties ollas, paropsides, et alia vasa testea minutatim frangebat, subinde fracta restituebat integra. Semel dum ipsa cum viro suo cubaret, apparens **Incubus** in forma solita, enixe deprecabatur ab ea concubitum, et dum ipsa de more constans resisteret, in furorem actus **Incubus** abscessit, et infra breve temporis spatium reversus est, secum ferens magnam copiam laminarum saxearum, quibus Genuenses in civitate sua et universa Liguria domos tegunt, et ex ipsis fabricavit murum circa lectum tantæ altitudinis, ut ejus conopeum adæquaret, unde necesse fuit scalis uti, si debuerunt de cubili surgere. Murus autem fuit absque calce, et ipso destructo, saxa in angulo seposita, quæ ibi per duos dies remanserunt visa a multis, qui ad spectaculum convenerant; et post biduum disparuerunt.

Invitaverat Maritus ejus in die S. Stephani quosdam amicos viros militares ad prandium, et pro hospitum dignitate dapes paraverat; dum de more lavantur manus ante accubitum, disparet in momento mensa parata in triclinio; disparent obsonia cuncta, olla, caldaria, patinæ, ac omnia vasa in coquina; disparent amphoræ, canthari, calices parati ad potum. Attoniti ad hoc stupent commensales, qui erant octo, inter quos Dux peditum Hispanus ad alios conversus ait: Ne paveatis, ista est illusio, sed pro certo mensa in loco in quo erat, adhuc est, et modo modo eam tactu percipiam. Hisque dictis circuibat cænaculum manibus extentis tentans mensam deprehendere, sed cum post multos circuitus incassum laborasset, et nil præter ærem tangeret, irrisus fuit a cæteris; cumque jam grandis esset prandii hora, pallium proprium eorum unusquisque sumpsit propriam domum petiturus. Jam erant omnes prope januam domus in procinctu eundi associati a marito vexatæ mulieris,

urbanitatis causa; cum grandem quendam strepitum in cœnaculo audiunt. Subsistunt parumper ad cognoscendum causam strepitus, et accurrens famula nuntiat in coquina vasa nova obsoniis plena apparuisse, mensamque in cœnaculo jam paratam esse restitutam. Revertuntur in cœnaculum, et stupent mensam mappis et manutergiis insolitis, salino, et lancibus insolitis argenteis, salsamentis, ac obsoniis, quæ domi parata non fuerant, instructam. A latere magna erecta erat credentia, supra quam optimo ordine stabant calices crystallini, argentini, et aurei cum variis amphoris, lagenis, cantharis plenis vinis exteris, puta Cretensi, Campano, Canariensi, Rhenano, etc. In coquina pariter in ollis, et vasis itidem in ea domo nunquam visis varia obsonia. Dubitarunt prius nonnulli ex iis eas dapes gustare, sed confirmati ab aliis accubuerunt, et exquisitissime omnia condita reppererunt; ac immediate a prandio, dum omnes pro usu illius temporis ad ignem sedent, omnia ustensilia cum reliquiis ciborum disparuere, et repertæ sunt antiquæ domus supellectiles simul cum dapibus, quæ prius paratæ fuerant; et quod mirum est, convivæ omnes saturati sunt, ita ut nullus eorum cœnam sumpserit præ prandii lautitia. Quo convincitur cibos appositos reales fuisse, et non ex præstigio repræsentatos.

Interea effluxerant multi menses, ex quo cæperat hujusmodi persecutio: et mulier votum fecit B. Bernardino Feltrensi, cujus sacrum corpus veneratur in Ecclesia S. Jacobi prope murum illius urbis, incedendi per annum integrum indutam panno griseo, et chordulato, quo utuntur Fratres Minores, de quorum ordine fuit B. Bernardinus, ut per ipsius patrocinium a tanta **Incubi** vexatione liberaretur. Et de facto die 28. Septembris, qui est pervigilium Dedicationis S. Michaelis Archangeli, et festum B. Bernardini, ipsa veste votiva induta est. Mane sequenti, quod est festum S. Michaelis, ibat vexata ad ecclesiam S. Michaelis, quæ ut diximus erat parochialis ipsius, circa medium mane, dum frequens populus ad illam confluebat; et cum pervenisset ad medium plateæ ecclesiæ, omnia ipsius indumenta et ornamenta ceciderunt in terram et rapta vento statim disparuerunt, ipsa relicta nuda. Adfuerunt sorte inter alios duo equites viri longævi, qui factum videntes dejectis ab humero propriis palliis mulieris nuditatem, ut potuerunt, velarunt, et rhedæ impositam ad propriam domum duxerunt. Vestes et jocalia quæ rapuerat **Incubus**, non restituit nisi post sex menses.

Multa alia, et quidem stupenda operatus est contra eam **Incubus**, quæ tædet excubere, et per multos annos in ea tentatione permansit, tandemque **Incubus** videns operam in ea perdere, destitit a tam importuna et insolita vexatione.

29. In hoc casu, et similibus qui passim audiuntur et leguntur, **Incubus** ad nullum actum contra Religionem tentat, sed solum contra castitatem. Hinc fit quod ipsi consentiens non peccat irreligiositate, sed incontinentia.

30. In confesso autem est apud Theologos et Philosophos, quod ex commixtione hominis, cum Dæmone aliquoties nascuntur homines et tali modo nasciturum esse **Antichristum** opinantur nonnulli Doctores: Bellarm., lib. 1. de Rom. Pont. cap. 12., Suarez, tom. 2. disp. 54. sec. 1.; Maluend., de **Antichr.** l. 2. c. 8. Immo observant, quod, qui gignuntur ab hujusmodi **Incubis**, naturali causa etiam evenit, ut nascantur grandes, robustissimi, ferocissimi, superbissimi, ac nequissimi ut scripsit Maluenda, loc. cit. § Ad illud; et hujus rationem recitat ex Vallesio Archiat. Reggio. Sac. Philosoph. c. 8., dicente quod **Incubi** summittunt in uteros non qualecumque, neque quantumcumque semen, sed plurimum, crassissimum, calidissimum, spiritibus affluens et seri experts. Id vero est eis facile conquirere, deligendo homines calidos, robustos, et abundantes multo semine, quibus succumbant, deinde, et mulieres tales, quibus incumbant, atque utrisque voluptatem solito majorem afferendo, tanto enim abundantius emittitur semen, quanto cum majori voluptate excernitur. Hæc Vallesius. Confirmat vero Maluenda supradicta, probando, ex variis et classicis Auctoribus, ex hujusmodi concubitu natos: Romulum ac Remum, Liv. decad. 1.; Plutarch. in vit. Romul., et Parallel.; Servium Tullium, sextum regem Romanorum, Dionys. Halicar. lib. 4., Plin. lib. 36. c. 27.; Platonem Philosophum, Laer. l. 9. de Vit. Philos., D. Hyeron. l. 1. Controvers. Jovinian.; Alexandrum Magnum, Plutarch., in vit. Alex. M.; Quint. Curt., l. 4. de Gest. Alex. M.; Seleucum, regem Syriæ, Just., Hist. l. 15., Appian., in Syriac.; Scipionem Africanum Majorem, Liv., decad. 3. lib. 6.; Cæsarem Augustum Imperatorem, Sueton., in Octa. c. 94.; Aristomenem Messenium, strenuissimum ducem Græcorum, Strabo, de Sit. Orb. lib. 8., Pausan. de Rebus Græcor. lib. 3.; et Merlinum, seu Melchinum Anglicum ex **Incubo** et Filia Caroli Magni Moniali, Hauller, volum. 2. Generat. 7.; quod etiam de Martino Luthero, perditissimo Heresiarca, scribit Cocleus apud Maluendam, de **Antich.** lib. 2. c. 6. § Cæterum.

31. Salva tamen tot, et tantorum Doctorum, qui in ea opinione conveniunt, reverentia, non video, quomodo ipsorum sententia possit subsistere; tum quia, ut optime opinatur Pererius, tom. 2. in Genes. cap. 6. disp. 5., tota vis et efficacia humani seminis consistit in spiritibus, qui difflantur, et evanescent, statim ac sunt extra genitalia

vasa, a quibus foventur, et conservantur, ut scribunt Medici. Nequit proinde **Dæmon** semen acceptum conservare, ita ut aptum sit generationi, quia vas, quodcumque sit illud, in quo semen conservare tentaret, oporteret, quod caleret calore assimetro a nativo organorum humanæ generationis; similem enim a nullo alio præterquam ab organis ipsis habere potest. In vase autem non calente vi tali calore, sed alieno, spiritus resolvuntur, nec sequi potest generatio. Tum quia generatio actus vitalis est, per quem homo generans de propria substantia semen defert per organa naturalia ad locum generationi congruentem. In casu autem delatio seminis non potest esse actus vitalis hominis generantis, quia ab eo non infertur in matricem; proinde nec dici potest, quod homo cujus est semen, generet fætum, qui ex eo nascitur. Neque **Incubus** ipsius pater dici potest; quia de ipsius substantia semen non est. Hinc fiet, quod nascetur homo, cujus nemo pater sit, quod est incongruum. Tum quia in patre naturaliter generante duplex causalitas concurrat, nempe materialis, quia semen, quod materia generationis, ministrat, et efficiens, quia agens principale est in generatione, ut communiter statuunt Philosophi. In casu autem nostro homo ministrando solum semen, puram materiam exhiberet absque ulla actione in ordine ad generationem; proinde non posset dici pater filii, qui nasceretur: et hoc est contra id, quod homo genitus ab **Incubo** non est illius filius, sed est filius ejus viri, a quo **Incubus** semen sumpsit.

32. Præterea omni probabilitate caret quod scribit Vallesius, et ex eo recitavimus supra n^o 30.; mirorque a doctissimi viri calamo talia excidisse. Notissimum enim est apud Physicos, quod magnitudo fætus non est a quantitate molis, sed est a quantitate virtutis, hoc est spirituum in semine: ab ea enim tota generationis ratio dependet, ut optime testatur Michael Etmullerus, Instit. Medic. Physiolog. car. 22. thes. 1. fol. m. 39., scribens: Tota generationis ratio dependet a spiritu genitali sub crassioris materiæ involucro excreto; ista materia seminis crassa nullo modo, vel in utero subsistente, vel ceu materia fætum constituyente: sed solus spiritus genitalis maris unitus cum spiritu genitali mulieris in poros uteri, seu quod rarius fit in tubos uteri se insinuat, indeque uterum fecundum reddit. Quid ergo facere potest magna quantitas seminis ad fætus magnitudinem? Præterea nec semper verum est, quod tales geniti ab **Incubis** magnitudine molis corporeæ insignes sint: Alexander enim Magnus, qui, ut diximus, natus taliter scribitur, statura pusillus erat; unde carmen, Magnus Alexander corpore parvus erat.

Item quamvis taliter concepti supra cæteros homines excellant, non tamen hoc semper est in vitiis, sed aliquando in virtutibus etiam in moralibus, ut patet in Scipione Africano, Cæsare Augusto, et Platone Philosopho, de quibus Livius, Suetonius et Laertius respective scribunt, quod optimi in moribus fuere; ut proinde arguere possimus, quod si alii eodem modo geniti pessimi fuere, hoc non fuerit ex hoc, quod fuerint ab **Incubo** geniti, sed quia tales ex proprio arbitrio extiterunt.

Pariter ex textu Sacræ Scripturæ, Gen. c. 6. v. 4., habemus quod **gigantes** nati sunt ex concubitu filiorum Dei cum filiabus hominum, et hoc ad litteram sacri textus. **Gigantes** autem homines erant statura magna, ut eos vocat Baruch, c. 3. v. 26, et excedente communem hominum proceritatem. Monstruosa statura, robore, atrociniis, et tyrannide insignes; unde **Gigantes** per sua scelera fuerunt maxima, et potissima causa Diluvii, ait Cornelius a Lapid. in Gen. c. 6. v. 4. § Burgensis. Non quadrat autem quorundam expositio, quod nomine filiorum Dei veniant filii Seth, et vocabulo filiarum hominum filiæ Cain, eo quod illi erant pietati, Religioni, et cæteris virtutibus addicti, descendentes autem a Cain viceversa: nam salva opinantium, Chrysost. Cyrill. Theodor. Rupert. Ab., et Hilar. in Psalm. 132. apud Cornel. a Lap. c. 6. G. v. 2. § Verum dies, reverentia, talis expositio non cohæret sensui patenti litteræ; ait enim Scriptura, quod ex conjunctione talium nati sunt homines monstruosæ proceritatis corporeæ: ante illam ergo tales **gigantes** non extiterunt: quod si ex ea orti sunt, hoc non potuit esse ex eo, quod filii Seth coivissent cum filiabus Cain, quia illi erant staturæ ordinariæ, prout etiam filiæ Cain, unde oriri ex his naturaliter non potuerunt, nisi filii staturæ ordinariæ; si ergo monstruosa statura filii nati sunt ex tali conjunctione, hoc fuit, quia non fuerunt prognati ex ordinaria conjunctione viri cum muliere, sed ex **Incubis Dæmonibus** qui ratione naturæ ipsorum optime possunt vocari filii Dei, et in hac sententia sunt Philosophi Platonici, et Franciscus Georgius Venetus, tom. 1. problem. 74.: nec dissentiunt ab eadem Joseph. Hebræus, Philo Judæus, S. Justinus Martyr, Clemens Alexandrinus, et Tertullianus. Joseph. Hebræus, Antiq. l. 1., Philo, l. de **Gigant.**, S. Justinus M., Apolog. 1., Clemens Alex., lib. 3., Tertull., lib. de Habit. Mul., apud Cornel., loc. cit., Hugo de S. Victor., Annot. in Gen., c. 6., qui opinantur illos fuisse Angelos quosdam corporeos qui in luxuriam cum mulieribus delapsi sunt, ut enim infra ostendemus istæ duæ sententiæ in unam, et eandem conveniunt.

33. Si ergo **Incubi** tales, ut fert communis sententia, **Gigantes** genuerunt, accepto semine ab homine, juxta id,

quod supra dictum est, non potuerunt ex illo semine nasci nisi homines ejusdem staturæ plus, minusve, cum eo a quo semen acceptum est: nec enim facit ad altiorem corporis staturam major seminis quantitas, ita ut attracta insolite a **Dæmone**, dum **succubus** fit homini, augeat ultra illius staturam enormiter corpus ab eo geniti; quia, ut supra diximus, hoc residet in spiritu, et non in mole seminis: ut proinde necesse sit concludere, quod ab alio semine, quam humano hujusmodi **gigantes** nati sint, et proinde **Dæmon Incubus** non humano, sed alio semine utatur ad generationem. Quid igitur dicendum?

34. Quantum ad hoc, sub correctione Sanctæ Matris Ecclesiæ, et mere opinative dico, **Incubum Dæmonem** dum mulieribus commiscetur, ex proprio ipsius semine hominem generare.

35. Paradoxa in fide, et parum sana nonnullis videbitur hæc opinio; sed lectorem meum deprecor, ut iudicium non præcipitet de ea: ut enim incivile est nondum tota lege perspecta judicare, ut Celsus, lib. 24. ff. de legib. et S. C., ait, ita neque damnanda est opinio, nisi prius examinatis, ac solutis argumentis, quibus innitur. Ad probandam igitur supradatam conclusionem, nonnulla sunt necessario præmittenda.

36. Præmittendum primo de fide est, quod dentur Creaturæ pure spirituales nullo modo de materia corporea participantem, prout habetur ex Concilio Lateranensi, sub Innocentio Tertio, c. Firm. de Sum. Trin. et Fid. Cath. Conc. Eph. in Epist. Cyrill. ad Reggia, et alibi. Hujusmodi autem sunt Angeli beati, et **Dæmones** damnati ad ignem perpetuum. Quamvis vero nonnulli Doctores, Bann. par. 1. q. 5. ar. 1. Can. de Loc. Theol. l. 5. c. 5. Sixt. seu Bibliot. San. l. 5. annot. 8., Mirand. Sum. Concil. v^o. Angelus, Molina, p. 1. q. 50., a. 1., Carranz., Annot. ad Synod. 7., etiam post Concilium illud docuerint spiritualitatem Angelorum et **Dæmonum** non esse de fide, ita ut nonnulli alii, Bonav. in lib. 2. sent. dist. 3. q. 1., Scot. de Anim. q. 15., Cajet. in Gen. c. 4., Franc. Georg. Problem. l. 2. c. 57., August. Hyph., de **Dæmon.**, l. 3. c. 3., scripserint illos esse corporeos, et proinde Angelos **Dæmones**que corpore et spiritu constare non esse propositionem hæreticam, neque erroneam probet Bonaventura Baro, Scot. Defens. tom. 9. apolog. 2., act. 1., p. § 7.: tamen quia Concilium ipsum statuit de fide tenendum, Deum esse Creatorem omnium visibilium, et invisibilium, spiritualium, et corporalium, qui utramque de nihilo condidit creaturam spiritualem et corporalem Angelicam, videlicet ut mundanam: ideo dico de fide esse quasdam creaturas dari mere spirituales, et tales esse Angelos, non quidem omnes, sed quosdam.

37. Inaudita forsitan erit sententia hæc, sed non destituta erit probabilitate. Si enim a Theologis tanta inter Angelos diversitas specifica, et proinde essentialis statuitur, ut in via D. Thomæ, p. p., q. 50., ar. 4., plures Angeli nequeant esse in eadem specie, sed quilibet Angelus propriam speciem constituat, profecto nulla invenitur repugnantia, quod Angelorum nonnulli sint purissimi spiritus, et proinde excellentissimæ naturæ, alii autem corporei, et minus excellentes, et eorum differentia petatur per corporeum, et incorporeum. Accedit quod hac sententia facile solvitur alias insolubilis contradictio inter duo Concilia Œcumenica, nempe Septimam Synodum generalem, et dictum Concilium Lateranense: siquidem in illa Synodo, quæ est secunda Nicæna, actione quinta, productus est liber Joannis Thessalonicensis scriptus contra quemdam Philosophum gentilem, in quo ita habetur: De Angelis, et Archangelis, atque eorum Potestatibus, quibus nostras Animas adjungo, ipsa Catholica Ecclesia sic sentit, esse quidem intelligibiles, sed non omnino corporis expertes, et insensibiles, ut vos Gentiles dicitis, verum tenui corpore præditos, et æreo, sive igneo, sicut scriptum est: qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem. Et infra: Quamquam autem non sint ut nos, corporei, utpote ex quatuor elementis, nemo tamen vel Angelos, vel **Dæmones**, vel Animas dixerit incorporeas: multoties enim in proprio corpore visi sunt ab illis, quibus Dominus oculos aperuit. Et cum omnia lecta fuissent coram Patribus synodaliter congregatis, Tharasius, Patriarcha Constantinopolitanus, poposcit adprobationem Sanctæ Synodi his verbis: Ostendit Pater, quod Angelos pingi oporteat, quoniam circumscribi possunt, et ut homines apparuerunt. Synodus autem uno ore respondit: Etiam, Domine.

38. Hanc autem Conciliarem adprobationem de materia ad longum pertractata a D. Joanne in libro coram Patribus lecto, statuere articulum fidei circa corporeitatem Angelorum, perspicuum est: unde ad tollendam contradictionem hujus, cum allata definitione Concilii Lateranensis multum desudant Theologi. Unus enim, Suarez, de Angelis, ait, quod Patres non contradixerunt tali asserto de corporeitate Angelorum, quia non de illa re agebatur. Alius, Bann., in p. p. q. 10., ait, quod Synodus adprobavit conclusionem, nempe Angelos pingi posse, non tamen adprobavit rationem, quia corporei sunt. Alius, Molin., in p. p., q. 50. a. 1., ait, quod

definitiones Conciliares in illa Synodo factæ sunt solum actione septima, proinde ea quæ habentur in actionibus præcedentibus non esse definitiones de fide. Alii, Joverc. et Mirand., Sum. Conc., scribunt nec Nicænum, nec Lateranense Concilium intendisse definere de fide quæstionem; et Nicænum quidem locutum fuisse juxta opinionem Platoniorum, quæ ponit Angelos corporeos, et tunc prævalebat; Lateranense autem locutum esse juxta mentem Aristotelis, qui, l. 12. Metaphys., tex. 49., ponit intelligentias incorporeas, quæ sententia contra Platonios apud plerosque Doctores invaluit expost.

39. Sed quam frigidæ sint istæ responsiones nemo non videt, ac eas minime satisfacere oppositioni palmariter demonstrat Bonaventura Baro, Scot. Defens., tom. 9., apolog. 2., actio. 1., § 2. per totum. Proinde ad tollendam contradictionem Conciliorum dicendum est, Nicænum locutum esse de una, Lateranense autem de alia specie Angelorum, et illam quidem corpoream, hanc vero penitus incorpoream; et sic conciliantur, aliter irreconciliabilia Concilia.

40. Præmittendum 2^o., nomen Angeli esse nomen officii, non naturæ, ut concorditer scribunt S. S. Patres: Ambros. in c. 1. epist. ad Hebr., Hilarius, l. 5. de Trin., Augustinus, lib. 15. de Civit. Dei. c. 23., Gregorius, Hom. 34. in Evang., Isidorus, l. de Sum. Bonit., c. 12.; unde præclare ait D. Ambrosius: Angelus non ex eo quod est spiritus, ex eo quod agit, Angelus, quia Angelus Græcæ, Latine Nuntius dicitur; sequitur igitur ex hoc, quod illi, qui ad aliquod ministerium a Deo mittuntur, sive spiritus sint, sive homines, Angeli vocari possunt; et de facto ita vocantur in Scripturis Sacris: nam de Sacerdotibus, Concionatoribus, ac Doctoribus, qui tanquam Nuntii Dei explicant hominibus divinam voluntatem, dicitur, Malach. c. 2. v. 7.: Labia Sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est. D. Joannes Baptista ab eodem Propheta, c. 3. v. 1., vocatur Angelus, dum ait: Ecce ego mitto Angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam. Et hanc prophetiam esse ad litteram de S. Joanne Baptista testatur Christus Dominus in Evangelio Matthæi, 11., v. 10. Immo et ipse Deus, quia fuit missus a Patre in mundum ad evangelizandum legem gratiæ, vocatur Angelus. Ita in prophetia Isaïæ, c. 9. v. 6., juxta versionem Septuaginta: Vocabitur nomen ejus magni consilii Angelus, et clarius in Malachiæ c. 3. v. 1.: Veniet ad templum sanctum suum Dominator quem vos quæritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis. Quæ prophetia ad litteram est de Christo Domino. Sequitur igitur nullum absurdum sequi ex hoc, quod dicimus Angelos quosdam esse corporeos, nam et homines, qui corpore constant, Angeli vocabulo efferuntur.

41. Præmittendum 3^o., nondum rerum naturalium, quæ sunt in Mundo, satis perspectam esse existentiam, aut naturam, ut proinde aliquid negandum sit ex eo, quod de illo nunquam alias dictum, aut scriptum fuerit. Patet enim tractu temporis detectas esse novas terras, quas Antiqui nostri ignorarunt, novaque animalia, herbas, plantas, fructus, semina nunquam alias visa; et si pervia esset Terra Australis incognita, cujus indagatio, et lustratio a multis hucusque incassum tentata est, adhuc nova nobis alia panderentur. Patet adhuc, quod per inventionem Microscopii, et alias machinas, et organa Philosophiæ experimentales modernæ, sicut etiam per exactiorem indaginem Anatomistarum, multarum rerum naturalium existentiam, vires, naturamque tum innotuisse, tum dietim innotescere, quæ præcedentes Philosophi ignorarunt, ut patet in auro fulminante, phosphoro, et centum aliis chymicis experimentis, circulatione sanguinis, venis lacteis, vasis lymphaticis, et aliis hujusmodi quæ nuper Anatomistæ adinvenerunt. Proinde ineptum erit aliquid exsibillare ex hoc quod de eo nullus Antiquorum scripserit, attento maxime Logicorum axiomate, quod locus ab auctoritate negativa non tenet.

42. Præmittendum 4^o., quod in Sacra Scriptura, et Ecclesiasticis traditionibus non traditur nisi id, quod ad Animæ salutem necessarium est, quoad credendum, sperandum et amandum; unde inferre non licet ex eo, quod nec ex Scriptura, nec ex traditione aliquid habetur, proinde negandum sit, quod illud tale existat: aut nos quidem Fides docet, Deum per Verbum suum omnia creasse visibilia, et invisibilia; pariterque ex Jesu Christi Domini nostri meritis tum gratiam, tum gloriam omni, et cuivis rationali creaturæ conferri. Num autem alius Mundus a nostro, quem incolimus, sit; et in eo alii homines non ab Adam prognati, sed alio modo a Deo creati existant (sicut ponunt illi, qui lunarem globum habitatum opinantur); pariterque num in hoc Mundo, quem incolimus, aliæ existant creaturæ rationales ultra homines, et Spiritus Angelicos, quæ regulariter hominibus sint invisibiles, et per accidens, et earum executiva potentia fiant visibiles: hoc nullo modo spectat ad fidem, et hoc

scire, aut ignorare non est ad salutem hominis necessarium, sicut nec scire rerum omnium physicarum numerum aut naturam.

43. Præmittendum 5^o., nullam inveniri repugnantiam, nec in Philosophia, nec in Theologia, quod dari possint creaturæ rationales constantes spiritu et corpore, aliæ ab homine, quia si esset repugnantia hoc esset vel ex parte Dei (et hoc non quia ipse omnipotens est), vel ex parte rei creabilis; et neque hoc, quia sicut creatura mere spiritualis, ut Angeli, creata est, et mere materialis, ut Mundus, et partim spiritualis, partim corporea, corporeitate terrestri, et crassa, ut homo, ita creabilis est creatura constans spiritu rationali, et corporeitate minus crassa, sed subtiliore, quam sit homo. Et profecto post Resurrectionem Anima Beatorum erit unita corpori glorioso dote subtilitatis donato: ut proinde concludi posset, potuisse Deum creare creaturam rationalem corpoream, cui naturaliter indita sit corporis subtilitas, sicut per gratiam corpori glorioso confertur.

44. Astruitur autem magis talium creaturarum possibilitas ex solutione argumentorum, quæ contra positam conclusionem fieri possunt, pariterque ex responsione ad interrogationes, quæ possunt circa eam formari.

45. Prima interrogatio est, an tales creaturæ dicendæ essent animalia rationalia? Quod si sic, quomodo different ab homine, cum quo communem haberent definitionem?

46. Respondeo quod essent animalia rationalia sensibus, et organis corporis prædita, sicut homo: different autem ab homine non solum ratione corporis tenuioris, sed etiam materiæ. Homo siquidem ex crassiore elementorum omnium parte, puta ex luto, nempe aqua et terra crassa formatus est, ut constat ex Scriptura, Gen. 2. v. 7.; ista vero formata essent ex subtiliore parte omnium, aut unius, seu alterius elementorum; ut proinde alia essent terrea, alia aquea, alia ærea, et alia ignea, et ut eorum definitio cum hominis definitione non conveniret, addendum esset definitioni hominis crassa materialitas sui corporis, per quam a dictis animalibus differret.

47. Secunda interrogatio est, quandonam hujus modi animalia fuissent condita, et num cum brutis producta a terra, aut ab aqua, ut quadrupedia, et aves respective; an vero a Domino Deo formata, ut fuit homo?

48. Respondeo quod de fide est, quod posito, quod existant de facto, creata sint a principio Mundi: sic enim definitur a Concilio Lateranensi (Firm. de Sum. Trinit. et Fide cathol.); nempe quod Deus sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem. Sub illa etenim Creaturarum generalitate etiam illa animalia essent comprehensa. Quo vero ad eorum formationem, decuisse ipsorum corpus a Deo ministerio Angelorum formatum fuisse, sicut a Deo formatum legimus corpus hominis, quia ipsi copulandus erat spiritus immortalis, quandoquidem spiritus incorporeus, et proinde nobilissimus corpori pariter originaliter nobiliori cæteris brutis jungendus erat.

49. Tertia interrogatio, an talia animalia habuissent originem ab uno solo, velut omnes homines ab Adam, an vero plura simul formata essent sicut fuit de cæteris animantibus a terra, et aqua productis, in quibus fuerunt Mares, et Fæminæ quæ speciem per generationem conservant? Et si hoc oporteret inter talia animalia esse distinctionem sexus; ipsa nasci, et interire; passionibus sensus affici, nutriri, crescere; et tunc quo alimenta vescerentur, esset quærendum; præterea an vitam socialem ducerent, ut homines; qua politica regerentur; num urbes ad habitandum struxissent; num artes, studia, possessiones, et bella inter ea essent, sicut est in hominibus.

50. Respondeo: potuit esse quod omnia ab uno, velut homines ab Adam, sint progenita; potuit pariter esse, quod ex iis multi mares, et plures fæminæ fuissent formatæ, a quibus per generationem eorum species essent propagatæ. Ultra admitteremus talia animalia oriri, et mori; mares alios, alias fæminas inter ea esse; passionibus, sensibus agitari velut homines; nutriri et crescere secundum molem sui corporis; cibum autem ipsorum non crassum qualem requirit crassities corporis humani, sed substantiam tenuem, et vaporosam emanantem per effluvia spirituosam a rebus physicis pollentibus corpusculis maxime volatilibus, ut nidus carniū maxime assatarum, vapor vini, fructuum, florum, aromatum, a quibus copiosa hujusmodi effluvia usque ad totalem partium subtiliorum, ac volatiliū evaporationem scaturiunt. Talia autem animalia civilem vitam ducere posse, et inter ea distinctos esse gradus dominantium ac servientium pro conditione naturæ ipsorum, artesque, scientias, ministeria, exercitia, loca, mansiones, ac alia necessaria ad eorum conservationem, nullam penitus

importat repugnantiam.

51. Quarta interrogatio est, qualis esset eorum corporis figuratio, an humanam, an aliam formam, et qualem haberent, et an partes corporis ipsorum haberent ordinem essentialem inter se, ut corpora cæterorum animalium, an vero accidentalem tantum, ut corpora fluidarum substantiarum, ut olei, aquæ, nubis, fumi, etc.; et num substantiæ suarum partium organicarum diversimode constarent, ut organa hominum, in quibus sunt aliæ partes crassissimæ, ut ossa, aliæ minus crassæ, ut cartilagine, aliæ tenues, ut membranæ.

52. Respondeo, quod quantum ad figuram corpoream nihil certi affirmare debemus, aut possumus, cum talis figura non sit exacte nobis sensibilis, nec quoad visum, nec quoad tactum præ sui corporis tenuitate, ac perspicacitate; qualis proinde vere sit, noverent ipsi, aliique, qui substantias immateriales intuitive cognoscere possunt. Quoad congruentiam et probabilitatem dico, illa referre speciem corporis humani, cum aliquo distinctivo a corpore humano, nisi forte ad hoc sufficiat sua ipsorum tenuitas. Ducor, quia corpus humanum plasmatum a Deo perfectissimum est, inter animalia quæque, et cum cætera bruta in terram sint prona, eo quia anima eorum mortalis est, Deus, ut ait poeta Ovid., Metamorphos.:

Os homini sublime dedit, cælumque tueri

Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus;

quia anima hominis immortalis ordinata est ad cælestem mansionem. Cum igitur animalia, de quibus loquimur, spiritum haberent immaterialem, rationalem, ac immortalem, et proinde capacem beatitudinis, ac damnationis, congruum est, quod corpus, cui talis spiritus copulatur, simile sit omnium animalium nobilissimo, corpori humano. Ex hac positione sequitur, quod ejus corporis partes ordinem inter se essentialem habere deberent; nec enim pes capiti, aut ventri manus conjungi deberet: sed congrua membrorum essentiali dispositione ordinata, ut essent idonea ministeriis propriis perficiendis. Quo autem ad partes componentes ipsarum organa, dico quod necessarium esset, ut nonnullæ ipsarum essent solidiores, aliæ minus solidæ, aliæ tenues, aliæ tenuissimæ pro necessitate operationis organicæ. Nec contra hanc positionem facile potest asseri tenuitas ipsorum corporum: quippe soliditas aut crassities organicarum partium, de qua dicimus, non esset talis simpliciter, sed comparative ad alias partes tenuiores. Et hoc patere potest in omnibus corporibus fluidis naturalibus, ut vino, oleo, lacte, etc.; quantumvis enim omnes partes in ipsis videantur homogeneæ, ac similes, non tamen ita est; nam in ipsis est pars terrea, pars aquea, sal fixum, sal volatile, et pars sulfurea, quæ omnia manipulatione spargirica oculis subjici possunt. Ita esset in casu nostro: posito enim quod talium animalium corpora subtilia, et tenuia, ut corpora naturalia fluida, velut aqua, et ær, essent, non tamen tolleretur, quin in ipsorum partibus diversæ inter se essent qualitates, et aliquæ ipsarum comparative ad alias essent solidæ, et aliæ tenuiores, quamvis totum corpus ex ipsis compositum tenue dici posset.

53. Quod si dicatur, quod hæc repugnant positioni supra firmatæ, circa partium essentialium ordinationem inter se: quandoquidem videmus, quod in corporibus fluidis, ac tenuibus una pars non servat ordinem essentialium ad aliam, sed accidentalem tantum, ita ut hæc pars vini, quæ modo alteri parti contigua est, mox inverso vase, aut moto vino, alteri parti unitur, et sic omnes partes diversam positionem habent quantumvis semper idem vinum sit, et ex hoc sequeretur, quod talium animalium corpora figurata stabiliter non essent, et consequenter, nec organica.

54. Respondeo negando assumptum; etenim in corporibus fluidis, quamvis non appareat, manet tamen essentialis partium ordinatio, qua stante stat in suo esse compositum, et hoc patet manifeste in vino: expressum enim ab uvis videtur liquor totaliter homogeneus, non tamen ita est; in eo enim sunt partes crassæ, quæ tractu temporis subsident in doliis: sunt etiam partes tenues, quæ evaporant: sunt partes fixæ, ut tartarus, sunt partes volatiles, ut sulphur, sive spiritus ardens; sunt partes mediæ inter volatile ac fixum, ut phlegma. Partes istæ ordinem essentialium inter se mutant; nam statim, ac expressum est ab uvis, et mustum dicitur sulphur, sive spiritus volatilis, ita implicatum manet particulis tartari, qui fixus est, ut nullo modo avolare valeat.

55. Hinc est, quod a musto recenter ab uvis expresso nullo modo potest distillari spiritus sulphureus, qui communiter vocatur aqua vitæ: sed post quadraginta dies fermentationis particulæ vini ordinem mutant, ita ut spiritus, qui alligati erant particulis tartareis, et propria volatilitate eas suspensas tenebant, et vicissim ab eis, ne possent avolare detinebantur, ac tartareis particulis separantur, et divulsi, ac confusi remanent cum partibus

phlegmaticis, a quibus per actionem ignis faciliter separantur, et avolant; sicque per distillationem fit aqua vitæ, quæ aliud non est quam sulphur vini volatile cum tenuiore parte phlegmatis simul cum dicto sulphure vi ignis elevata. Post quadraginta dies, alia incipit vini fermentatio, quæ longiori, aut minus longo tempore perficitur, pro vini perfectiori, aut imperfectiori maturitate, et alio, atque alio modo terminatur, pro minore aut majore spiritus sulphurei abundantia. Si enim abundat in vino sulphur, acescit fermentatione, et evadit acetum; si autem parum sulphuris continet, lentescit vinum, et Italice dicitur vino molle, aut vino guasto. Quod si vinum maturum sit, ut cæteris paribus est, vinum dulce breviori tempore, aut acescit, aut lentescit, ut quotidiana constat experientia. In dicta autem fermentatione ordo essentialis partium vini mutatur; non enim ipsius quantitas, aut materia imminuitur, aut mutatur: videmus enim lagenam vino plenam tractu temporis evadere plenam aceto, nullatenus mutata circa quantitatem materiæ, quæ prius ibi extabat, sed tantum mutato partium essentiali ordine: nam sulphur, quod, ut diximus, erat phlegmati unitum, ac a tartaro separatum, iterum tartaro implicatur, et cum eo fixatur, et proinde si distilletur acetum, primo prodit phlegma insipidum, et post spiritus aceti, qui est sulphur vini illaqueatum particulis tartari minus fixi. Mutatio autem essentialis partium supradictarum variat substantiam liquoris expressi ab uva, quod manifeste patet ex variis, et contrariis effectibus, quos causant mustum, vinum, et acetum, et vinum lentum, quod vocatur corruptum, ut proinde duo prima apta materia sint ad consecrationem, secus alia duo. Hanc porro vini economiam hausimus ab erudito opere Nicolai Lemerii, Regis Galliarum Aromatarii, Curs. de Chimi., p. 2. c. 9.

56. Datam ergo naturalem doctrinam applicando consequenter dico, quod data dictorum animalium corporeitate subtili, et tenui, sicut corpora liquidorum, et data pariter eorundem organizatione et figuratione, quæ partium essentialium ordinationem exigunt, non sequerentur inconvenientia ex adverso illata: nam sicut (quemadmodum dicebamus) ex confusione partium vini, et diversa ipsarum accidentali positione non variatur ordinatio earundem essentialis, ita esset in corpore tenui dictorum animalium.

57. Quinta interrogatio est, an talia obnoxia essent ægritudinibus, ac aliis imperfectionibus, quibus homines laborant, ut ignorantia, metu, segnitie, sensuum impedimentis, etc.? An laborando lassarentur, et ad virium reparationem egerent somno, cibo, ac potu, et quo? et consequenter an interirent, et subinde, an a cæteris animalibus casu, aut ruina possent occidi?

58. Respondeo, quod ex quo corpora ipsorum, quamvis tenuia, essent materiata, essent quidem corruptioni obnoxia; et ex consequenti possent pati ab agentibus contrariis, et ita ægrotare, puta, aut simpliciter, aut nisi ægre, perverse, aut vitiose præstare non posse munera, ad quæ eorum organa essent ordinata; in hoc siquidem consistit animalium quorundam ægritudo quævis: ut resolute docet præstantissimus Michael Etmullerus, Physiol. c. 5., thes. 1. Verum est, quod ex eo, quod tantam materiæ crassitatem non haberent, et forte ex tot elementorum mixtione eorum corpus non constaret, et minus compositum esset, quam humanum, non tam facile paterentur a contrariis, et consequenter non tot ægritudinibus velut homines essent obnoxia, et longiorem, etiam homine, vitam ducerent: quo enim perfectius est animal, a tota specie, etiam cæteris, diutius vivit, ut patet de specie humana, cujus vita longior cæteris animalibus est. Nec enim admitto sæcularem vitam cornicum, cervorum, corvorum, et similium, de quibus more suo fabulatur Plinius, et ejus somnia sine prævia discussione secuti sunt cæteri: quandoquidem nullus est, qui talium animalium natale et interitum fideliter adnotaverit, ut pari modo de eo scripserit; sed insolitam diu fabulam quisque secutus est; sicut etiam illud, quod de Phænice dicitur, quod ut quid fabulosum, circa ejus vitæ spatium recenset Tacitus, l. 6. Annal. Inferendum subinde esset quod illorum animalium vita etiam humana deberet esse diuturnior: ut enim infra dicemus, illa essent homine nobiliora, consequenter dicendum esset, quod essent obnoxia cæteris corporeis pathematis, et quiete, et cibo indigerent, quale diximus supra n^o 50. Quia vero rationalia, et proinde disciplinabilia essent, ex consequenti etiam capacia ignorantie, si eorum ingenia non essent exculpta studiis, et disciplina, et inter ea pro intellectus eorum majori, et minori acumine essent aliqua magis, aliqua minus in scientiis excellentia: universaliter vero, et a tota specie essent homine doctiora, non ob eorum corpoream subtilitatem, tum forte, ob majorem spirituum activitatem, tum ob diuturniorem vitæ durationem, in qua plura, quam homines discere possent, quas causas assignat D. Augustinus, lib. de Divin. Dæm. c. 3. init. tom. 3., et lib. de Spir. et Anima, c. 37., pro futurorum prænotione in Dæmonibus. Ab agentibus autem naturalibus pati quidem possent, ac difficulter occidi ratione velocitatis, qua possunt se subtrahere a nocentibus; quapropter, nec a brutis, nec ab homine armis naturalibus, seu artificialibus nisi maxima difficultate possent occidi, aut mutilari, et maxima eorundem velocitate in declinando contrarium impetum. Possent vero in somno, aut in non advertentia occidi, et mutilari a corpore

solido, ut ense vibrato ab homine, aut lapide delapso per ruinam, quia eorum corpus licet tenue, tamen et quantum, et divisibile esset, velut ær qui ferro, fuste, aut alio corpore solido dividitur quamvis tenuis sit. Eorum autem spiritus impartibilis esset, et ceu anima hominis totus in toto, et totus in quavis corporis parte. Hinc fieret quod diviso corpore ipsorum, ut præfertur, per aliud corpus, sequi posset mutilatio, et proinde etiam mors: non enim fieri posset ut diviso corpore idem spiritus utramque partem informaret, cum ipse indivisibilis esset. Verum est quod sicut partes æris divisæ, per intermedium corpus, hoc sublato iterum uniuntur, et evadit idem ær, possent pariter partes corporis divisæ, ut supra ponitur, reuniri, et ab eodem spiritu revivificari. Sed hoc modo nequirent talia animalia ab agentibus naturalibus, aut artificialibus occidi: sed rationabilior esset prima positio; ex hoc enim, quod communicarent cum cæteris in materia, æquum est, ut a cæteris, etiam usque ad eorum interitum pati possent, ut fit cum cæteris.

59. *Sexta interrogatio est, an ipsorum corpora possent alia corpora penetrare, ut parietes, ligna, metalla, vitrum, etc., et an multa ipsorum possent in eodem loco materiali consistere, et ad quantum spatium extenderetur, seu restringeretur eorum corpus?*

60. *Respondeo, quod cum in omnibus corporibus quantumvis compactis dentur pori, ut ad sensum patet in metallis, de quibus major esset ratio, quod in ipsis non darentur pori: microscopio perfecte elaborato discernuntur pori metallorum, cum suis diversis figuris, utique possent per poros insinuari quibusvis corporibus, et hoc modo ista penetrare, quantumvis tales pori penetrari non possent ab alio liquore, aut spiritu materiali, aut vini, salis ammoniaci, aut similibus, quia longe tenuiora essent istis liquoribus illorum corpora. Quamvis autem plures Angeli possint esse in eodem loco materiali, et etiam restringi ad locum minorem minorem non tamen in infinitum, ut probat Scotus in 2. dist. 2. q. 6. §Ad propositi. et quæst. 8., per totum, hoc tamen concedendum non esset de corporibus talium animalium; tum quia corpora ipsa essent quanta, et eorum dimensio non esset reciproce penetrabilis; tum quia si duo corpora gloriosa non possunt esse in eodem loco, quamvis possint simul esse gloriosum, et non gloriosum, ut voluit Gotofredus de Fontibus, quodlibet 6. q. 5., a quo non discordat Scotus in 2. distinct. 2. q. 8. in fine; multo minus possent simul esse istorum corpora, quæ, licet subtilia, non tamen æquarent subtilitatem corporis gloriosi. Quo autem ad extensionem, et restrictionem dicendum esset, quod sicut ex rarefactione, et condensatione majus, aut minus spatium occupatur ab ære, qui etiam arte potest constringi, ut in minori loco contineatur, quam sit suæ quantitati naturaliter debitus, ut patet in magnis pilis lusoriis, quæ per fistulam seu tubum inflatorium inflantur: in his siquidem ær violenter immittitur, et constringitur, et ejus major ibi continetur quantitas, quam naturalis pilæ capacitas exigit; ita pariformiter talia corpora ex ipsorum naturali virtute possent ad majus spatium non tamen excedens eorundem quantitatem, extendi: ut pariter etiam restringi, non tamen circa determinatum locum suæ quantitati debitum. Et quia ipsorum nonnulla prout etiam in hominibus est, essent magna, et nonnulla parva, congruum esset, ut magna possent plus extendi, quam parva et hæc ad minorem locum restringi, quam magna.*

61. *Septima interrogatio est, an hujusmodi animalia in peccato originali nascerentur, et a Christo Domino fuissent redempta; an ipsis conferretur gratia, et per quæ sacramenta; sub qua lege viverent, et an Beatitudinis, et Damnationis essent capacia?*

62. *Respondeo, quod articulus Fidei est, quod Christus Dominus pro universa creatura rationali gratiam, et gloriam meruit. Pariter articulus Fidei est, quod Creaturæ rationali gloria non confertur nisi præcedat in ea gratia, quæ est dispositio ad gloriam. Similis articulus est quod gloria non confertur nisi per merita. Hæc vero fundantur in observantia perfecta mandatorum Dei adimpleta per gratiam. Ex his satis fit positio interrogationibus. Incertum est an tales Creaturæ originaliter peccavissent, necne. Certum tamen est, quod si ipsarum Prothoparens peccasset, sicut peccavit Adam, ipsius descendentes in peccato originali nascerentur, quemadmodum nascuntur homines. Et quia Deus nunquam reliquit Creaturam rationalem sine remedio, dum ipsa est in via; si hujusmodi creaturæ in peccato originali, aut actuali inficerentur, Deus providisset illis de remedio, sed quale sit, an fecisset, noverit Deus, noverint ipsæ. Hoc certum est si inter ipsas essent eadem, aut alia Sacramenta, ac sunt in Ecclesia humana militanti, ipsa habuissent, et institutionem, et efficaciam a meritis Jesu Christi, qui omnium creaturarum rationalium Redemptor, et Satisfactor universalis est. Convenientissimum pariter, immo necessarium esset quod sub aliqua lege a Deo sibi data viverent, ut per ipsius observantiam possent sibi beatitudinem mereri; quænam autem lex fuisset, an naturalis tantum, aut scripta, Mosaica, aut*

Evangelica, aut alia ab his omnibus differens, prout Deo placuisset, hoc nobis incognitum. Quoquomodo autem fuisset, nulla resultaret repugnantia possibilitatem talium creaturarum excludens.

63. *Unicum porro argumentum, et quidem satis debile post longam meditationem mihi subit contra talium creaturarum possibilitatem: et est quod si tales creaturae in Mundo existerent, de ipsis notitia aliqua tradita fuisset a Philosophis, Sacra Scriptura, Traditione Ecclesiastica, aut Sanctis Patribus; quod cum non fuerit, tales creaturas minime possibles esse concludendum est.*

64. *Sed hoc argumentum, quod revera magis pulsat existentiam, quam possibilitatem illarum, facili negotio solvitur ex iis quae praemissimus supra n^o 41. et 42. Argumentum enim ab auctoritate negativa non tenet. Praeterquam quod falsum est, quod de illis notitiam non tradiderint tum Philosophi, tum Scriptura, tum Patres. Plato siquidem, ut refert Apuleius de Deo Socratis et Plutarchus de Isid. apud Baronem, Scot. Defens., tom. 9. Appar. p. 1. fol. 2., voluit **Dæmones** esse animalia genere, animo passiva, mente rationalia, corpore aërea, tempore aeterna: creaturasque istas nomine **Dæmonum** intitulavit; quod tamen nomen non male sonat ex se: importat enim plenum sapientia; unde cum **Diabolum** (Angelum nempe malum) volunt auctores exprimere, non simpliciter **Dæmonem**, sed Caco **Dæmonem** vocant: sicut Eudæmonem, quando bonum Angelum volunt intelligi. Similiter in Scriptura Sacra et Patribus, de dictis creaturis habetur mentio, et de hoc infra dicemus.*

65. *Stabilita huc usque talium creaturarum possibilitate, ad earumdem existentiam probandam descendamus. Supposita tot historiarum veritate de coitu hujusmodi **Incuborum** et **Succuborum** cum hominibus et brutis, ita ut hoc negare impudentia videatur, ut ait D. Augustinus quem dedimus, supra n^o 10., ita arguo: Ubi reperitur propria passio sensus, ibidem necessario reperitur sensus ipse, cum juxta principia philosophica propria passio fluat a natura, sive ubi reperiuntur actiones, seu operationes sensus, ibidem reperitur sensus ipse, cum operationes et actiones sint a forma. Atqui in hujusmodi **Incubis** aut **Succubis**, sunt actiones, operationes, ac propriae passionis, quae sunt a sensibus; ergo in iisdem reperitur sensus: sed sensus reperiri nequit nisi adsint organa composita, nempe ex potentia animae et determinata parte corporis: ergo in iisdem reperiuntur corpus et anima; erunt igitur animalia: sed etiam in ipsis et ab ipsis sunt actiones, et operationes animae rationalis: ergo eorum anima erit rationalis: et ita de primo ad ultimum tales **Incubi** sunt animalia rationalia.*

66. *Minor probatur quoad singulas ejus partes. Passio siquidem appetitiva coitus est passio sensus; mæror, ac tristitia, ac iracundia et furor ex coitu denegato passionis sensus sunt, ut patet in quibusvis animalibus; generatio per coitum est operatio sensus, ut notum est. Hæc porro omnia in **Incubis** sunt, ut enim probavimus supra a n^o 25. et seq.; ipsi coitum muliebrem, et quandoque virilem appetunt, tristantur, et furunt, ut amantes, amantes, si ipsis denegetur; coeunt perfecte et quandoque generant. Concludendum ergo quod polleant sensu, et proinde corpore; unde inferendum etiam perfecta animalia esse. Pariter clausis ostiis ac fenestris intrant ubivis locorum: igitur ipsorum corpus tenue est; item futura prænoscunt, annuntiant, componunt, ac dividunt; quae operationes sunt propriae animae rationalis: ergo anima rationali pollent; et ita sunt vera animalia rationalia. Respondent communiter Doctores, quod malus **Dæmon** est ille qui tales impudicitias operatur, quod passionis, nempe amorem, tristitiamque simulat ex coitu denegato, ut animas ad peccandum alliciat, et eas perdat; et si coit, et generat, hoc est ex semine, et in corpore alieno, ut dictum fuit supra n^o 24.*

67. *Sed contra **Incubi** nonnulli rem habent cum equis, equabus, aliisque etiam brutis, quae si coitum adversentur, male ab ipsis tractantur, ut quotidiana constat experientia; sed in istis cessat ratio adducta, nempe quod fingat appetitum coitus, ut animas perdat, cum anima brutorum damnationis aeternae sit incapax. Praeterea amoris et irae passionis in ipso contrarios effectus reales producunt. Si enim aut mulier aut brutum amatum illis morem gerant, optime ab **Incubis** tractantur; viceversa pessime habentur, si ex denegato coitu irascantur et furant; et hoc firmatur quotidiana experientia; ergo in ipsis sunt verae passionis sensus. Insuper mali **Dæmones**, ac incorporei, qui rem habent cum **Sagis** et **Maleficis**, ipsas cogunt ad eorum adorationem, ad denegandam Fidem Orthodoxam, ad **Maleficia** et scelera enormia perpetranda tanquam pensum infamis coitus, ut supra n^o 11. dictum fuit: nihil horum prætendunt **Incubi**, ergo mali **Dæmones** non sunt. Ulterius malus **Dæmon**, ut ex Peltano et Thyreo scribit **Guaccius**, **Compend. Malef.** lib. 1. c. 19. fol. 128., ad prolationem nominis Jesu aut Mariæ, ad formationem signi Crucis, ad approximationem sacrarum Reliquiarum, sive rerum benedictarum, et ad*

exorcismos, adjurationes, aut præcepta sacerdotum, aut fugit aut pavet, concutiturque, et stridet, ut conspicitur quotidie in energumenis, et constat ex tot historiis, quas recitat **Guaccius**, ex quibus habetur, quod in nocturnis ludis **Sagarum** facto ab aliquo assistentium signo Crucis, aut pronuntiato nomine Jesu, **Diaboli** et secum **Sagæ** omnes disparuerunt. Sed **Incubi** ad supradicta nec fugiunt, nec pavent, quandoque cachinnis exorcismos excipiunt, et quandoque ipsos Exorcistas cædunt, et sacras vestes discerpunt. Quod si mali **Dæmones**, utpote a D. N. J. C. domiti, ad ipsius nomen, Crucem, et res sacras pavent: boni autem Angeli eisdem rebus gaudent, non tamen homines ad peccata et Dei offensam sollicitant: **Incubi** vero sacra non timent, et ad peccata provocant, convincitur ipsos nec malos **Dæmones**, nec bonos Angelos esse; sed patet, quod nec homines sunt, cum tamen ratione utantur. Quid ergo erunt? Si in termino sunt, et simplices spiritus sunt, erunt aut damnati aut beati: non enim in bona Theologia dantur puri spiritus viatores. Si damnati, nomen et Crucem Christi revererentur; si beati, homines ad peccandum non provocarent; ergo aliud erunt a puris spiritibus; et sic erunt corporati, et viatores.

68. Præterea agens materiale non potest agere nisi in passum similiter materiale; tritum siquidem est axioma philosophorum, quod agens, et patiens debent communicare in subjecto; nec id quod materiatum est, potest agere in rem pure spiritualem. Dantur autem agentia naturalia, quæ agunt contra hujusmodi **Dæmones Incubos**; sequitur igitur quod isti materiati, seu corporei sunt. Minor probatur ex iis quæ scribunt Dioscorides, l. 2. c. 168. et l. 1. c. 100., Plinius, lib. 15. c. 4., Aristoteles, Probl. 34., et Apuleius, l. De Virtute Herbarum, apud **Guaccium**, **Comp. Malef.**, l. 3. c. 13. fol. 316., et confirmatur experientia, nempe de pluribus herbis, lapidibus ac animalibus, quæ **Dæmones** depellunt, ut ruta, hypericon, verbena, scordium, palma Christi, centaureum, adamas, corallium, gagates, jaspis, pellis capitis lupi aut asini, menstruum muliebre, et centum alia; unde habetur 26, q. 7. cap. final.: **Dæmonium** sustinenti liceat petras, vel herbas habere sine incantatione. Ex quo habetur, petras aut herbas posse sua vi naturali **Dæmonis** vires compescere, aliter Canon hoc non permetteret, sed ut superstitiosum vetaret. Et de hoc luculentum exemplum habemus in Sacra Scriptura, ubi Angelus Raphael dixit Tobia, c. 6. v. 8.: cordis ejus (nempe piscis, quem a Tigri attraxerat) particulam, si super carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus **Dæmoniorum**. Et ejus virtutem experientia comprobavit: nam incenso jecore piscis, fugatus est **Incubus**, qui Saram deperiebat.

69. Respondent ad hæc communiter Theologi, quod talia agentia naturalia inchoative tantum fugant **Dæmonem**, complete autem vis supernaturalis Dei aut Angeli, ita ut virtus supernaturalis sit causa primaria, directa, et principalis, naturalis autem secundaria, indirecta, et minus principalis. Unde ab probationem, quæ supra adducta est de **Dæmone** fugato a fumo jecoris piscis incensi a Tobia, respondet Vallesius, De Sac. Philosoph., c. 28., quod tali fumo indita fuit a Deo vis supernaturalis fugandi **Incubum**, sicut igni materiali Inferni data est virtus torquendi **Dæmones** et animas Damnatorum. Ad eandem autem probationem respondet Lyranus, et Cornelius ad c. 6. Tob. v. 8., Abulentis in 1. Reg. c. 16. q. 46., Pererius in Daniel., pag. 272., apud Cornel. loc. cit., fumum cordis piscis expulisse **Dæmonem** inchoate vi naturali, sed complete vi angelica et cælesti: naturali autem impediendo actionem **Dæmonis** per dispositionem contrariam, quia hic agit per naturales causas et humores, quorum qualitates expugnantur a qualitatibus contrariis rerum naturalium, quæ dicuntur **Dæmones** fugare; et in eadem sententia sunt omnes loquentes de arte exorcista.

70. Sed hæc responsio, que tamen validas habet instantias, ad plus quadrare potest contra malos **Dæmones** obsidentes corpora, aut per **Maleficia** inferentes ipsis ægritudines, aut alia incommoda, sed nullo modo facit ad propositum de **Incubis**: siquidem isti nec corpora obsident, nec ipsis officiunt per ægritudines habituales, sed ad plus ictibus et percussionibus torquent. Quod si equas coitum adversantes macras reddunt, hoc faciunt subducendo illis cibum, et hoc modo macrescere, et tandem interire eas faciunt. Ad hæc autem patranda non eget **Incubus** alicujus rei naturalis applicatione (qua tamen eget malus **Dæmon** inferens ægritudinem habitualement), ea enim potest ex sua vi organica naturali. Pariter **Dæmon** malus plerumque obsidet corpora, et infert ægritudines ad signa cum ipso conventa et posita a **Saga** aut **Malefico**, quæ signa multoties res naturales sunt, præditæ vi nativa nocendi, quibus naturaliter resistunt alia pariter naturalia contrariæ virtutis. **Incubus** vero non sic; quia ex se, et nulla concurrente aut **Saga** aut **Malefico**, suas vexationes infert. Præterea res naturales fugantes **Incubos** suam virtutem exercent, ac effectum sortiuntur absque interventu alicujus exorcismi aut sacræ benedictionis; ut proinde dici non possit, quod fuga **Incubi** inchoative sit a virtute naturali, complete autem a vi divina, quia ibi nulla particularis intervenit divini nominis invocatio, sed est purus effectus rei

naturalis, ad quem non concurrat Deus, nisi concursu universali, tanquam auctor naturæ, et causa universalis, et prima in ordine efficientium.

71. Duas circa hoc historias do, quarum primam habui a Confessario Monialium, viro gravi, ac fide dignissimo. Alterius vero sum testis oculatus.

In quodam Sanctimonialium monasterio degebat ad educationem Virgo quædam nobilis tentata ab **Incubo**, qui diu noctuque ipsi apparebat, ipsam ad coitum sollicitando eniximis precibus, tamquam amasius præ amore dementatus; ipsa tamen semper restitit tentanti gratia Dei, ac sacramentorum frequentia roborata. Incassum abiere plures devotiones, jejunia et vota facta a puella vexata, exorcismi, benedictiones, et præcepta ab exorcistis facta **Incubo**, ut desisteret a molestia illa; nec quidquam proficiebatur multitudo reliquiarum, aliarumque rerum benedictarum disposita in camera virginis tentatæ, nec benedictæ candelæ noctu ibidem ardentes impediabant, quominus juxta consuetum appareret ad tentandum in forma speciosissimi juvenis. Consultas inter alios viros doctos fuit quidam Theologus magnæ eruditionis: iste advertens virginem tentatam esse temperamentum phlegmatici a toto, conjectavit **Incubum** esse **Dæmonem** aqueum (dantur enim ut scribit **Guaccius, Comp. Malefic.** l. 1. c. 19. fol. 129., **Dæmones** ignei, ærei, phlegmatici, terrei, subterranei, et lucifugi), et consuluit quod in camera virginis tentatæ continue fieret suffimentum vaporosum sequens. Requirit ollam novam figulinam vitreatam; in hac ponitur calami aromatici, cubebæ seminis, aristolochiæ utriusque radicis, cardamomi majoris et minoris, gingiberis, piperis longi, caryophyllorum, cinnamomi, canellæ caryophyllatæ, macis, nucum myristicarum, styracis calamitæ, benzoini, ligni ac radicis rodici, ligni aloes, triasantalorum una uncia, semiaquæ vitæ libræ tres; ponitur olla supra cineres calidas ut vapor suffimenti ascendat, et cella clausa tenetur. Facto suffimento advenit denuo **Incubus**, sed ingredi cellam nunquam ausus est: sed si tentata extra eam ibat, et per viridarium ac claustra spatiabatur, aliis invisibilis sibi visus apparebat **Incubus**, et puellæ collo injectis brachiis violenter, ac quasi furtive oscula rapiebat: quod molestissimum honestæ virgini erat. Consultus denuo Theologus ille ordinavit puellæ, ut deferret pixidulas unguentarias exquisitorum odorum, ut moschi, ambræ, zibetti, balsami Peruviani, ac aliorum compositorum; quod cum fecisset, deambulanti per viridarium puellæ apparuit **Incubus** faci minaci, ac furenti; non tamen ad illam approximavit, sed digitum sibi momordit tanquam meditans vindictam; tandem disparuit, nec amplius ab ea visus fuit.

72. Alia historia est, quod in Conventu Magnæ Cartusiæ Ticinensis, fuit quidam Diaconus, nomine dictus Augustinus, maximas, ac inauditas, et pene incredibiles sustinens a quodam **Dæmone** vexationes; quæ tolli nullo remedio spirituali (quamvis plura juxta plures exorcistas, qui liberationem, sed incassum tentarunt, fuissent adhibita) potuerunt. Me consuluit illius Conventus vicarius, qui curam divexati, utpote Clerici ex officio habebat. Ego videns frustranea fuisse consueta exorcismorum remedia, exemplo historiæ supraracensitæ consului suffimentum simile superiori, utque divexatus pixidulas odoramentorum supradictas deferret; et quia tabacchi usum habebat, et aqua vitæ delectabatur, suasi, ut et tabaccho et aqua vitæ moschata uteretur. **Dæmon** illi apparebat diu, noctuque ultra alias species, puta scheleti, suis, asini, Angeli, avis, modo in forma unius, modo alterius ex suis Religiosis, et semel in forma sui Prælati, nempe Prioris, qui hortatus est vexatum ad puritatem conscientiæ, ad confidentiam in Deum, et ad frequentiam confessionis; suavit ut sibi sacramentalem confessionem faceret, quod etiam fecit; et exposit Psalms Exurgat Deus et Qui habitat, et mox Evangelium S. Joannis simul cum vexato recitavit, et ad ea verba Verbum caro factum est genuflexit, et accepta stola, quæ in cella erat, et aspergillo aquæ benedictæ benedixit cellæ, ac lecto vexati, et ac si revera fuisset ipsius Prior præceptum fecit **Dæmoni**, ne auderet illum suum subditum amplius divexare, et post hæc disparuit, sicque prodidit quisnam esset: aliter vexatus illum suum Prælatum esse reputaverat. Postquam igitur suffimentum, ac odores, ut supra dictum est, consulueram, non destitit **Dæmon** juxta solitum apparere; imo assumpta figura vexati fuit ad cameram Vicarii, et ab eo petiit aquam vitæ, ac tabacchum moschatum, dicens sibi talia valde placere. Vicarius utrumque illi dedit: quibus acceptis disparuit in momento, quo facto cognovit Vicarius se fuisse illum a **Dæmone** tali pacto: quod magis confirmavit assertum vexati, qui cum juramento affirmavit, se illa die nullo modo fuisse in cella Vicarii. Iste mihi totum retulit, et ex tali facto conjeci **Dæmonem** illum non fuisse aqueum, ut erat **Incubus**, qui virginem ad coitum sollicitabat, ut dictum supra est, sed igneum, vel ad minus æreum, ex quo gaudebat vaporibus, ac odoribus, tabacco, et aqua vitæ, quæ calida sunt. Et conjecturæ vim addidit temperamentum divexati, quod erat colericum quo ad prædominium cum subdominio, tamen sanguineo. **Dæmones** enim tales non accedunt nisi ad eos, qui secum in temperamento symbolizant; ex quo validatur opinio

mea de illorum corporeitate. Unde suasi Vicario, ut acciperet herbas natura frigidas, ut nymphæam, hepaticam, portulacam, mandragoram, sempervivam, plantaginem, hyoscyamum, et alias similes, et ex iis compositum fasciculum fenestræ, alium ostio cellæ suspenderet; similibusque herbis, tum cameram, tum lectum divexati sterneret. Mirum dictu! comparuit denuo **Dæmon**, manens tamen extra cameram, nec ingredi voluit, et cum divexatus illum interrogasset, quare de more intrare non auderet, multis verbis injuriosis jactatis contra me, qui talia consulueram, disparuit, nec amplius reversus est.

73. Ex his duabus historiis apparet tales odores, et herbas respective sua naturali virtute, nullaque interveniente vi supernaturali **Dæmones** propulisse; unde convincitur quod **Incubi** patiuntur a qualitatibus materialibus, ut proinde concludi debeat, quod communicant in materia cum iis rebus naturalibus, a quibus fugantur, et ex consequenti corpore sint præditi, quod est intentum.

74. Et magis conclusio firmatur, si impugnetur sententia Doctorum supracitatorum, dicentium, **Incubum** abactum a Sara fuisse vi Angeli Raphaelis, non vero jecoris piscis callionymi, qualis fuit piscis a Tobia apprehensus ad ripam Tigris, ut cum Vallesio, Sacr. Philos., c. 42., scribit Cornelius a Lap. in Tob. c. 6., v. 2., § Quarto ergo: salva enim tantorum Doctorum reverentia, talis expositio manifeste adversatur sensui patenti Textus, a quo nullo modo recedendum est dummodo non sequantur absurda. En verba Angeli ad Tobiam: «Cordis ejus particulam, si super carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus **Dæmoniorum**, sive a viro, sive a muliere, ita ut ultra non accedant ad eos, et fel valet ad unguendos oculos, in quibus fuerit albugo, et sanabuntur.» (Tob., c. 6. v. 8. et 9.) Notetur, quæso, assertio Angeli absoluta, et universalis de virtute cordis, seu jecoris, et fellis illius piscis: non enim dicit: Si pones particulas cordis ejus super carbones, fugabis omne genus **Dæmoniorum**, et si felle unges oculos, in quibus fuerit albugo, sanabuntur: si enim ita dixisset congrua esset expositio, quod nempe Raphael supernaturali sua virtute illos effectus patrasset, ad quos perficiendos inepta esset applicatio fumi, et fellis: sed non ita loquitur, sed ait talem esse virtutem fumi, et fellis absolute.

75. Quæro modo, an Angelus veritatem puram dixerit de virtute rerum, an mentiri potuerit; pariter an albugo ab oculis Tobiaë senioris ablata sit vi naturali fellis piscis, aut virtute supernaturali Angeli Raphaelis? Angelum mentiri potuisse blasphemia hæreticalis est; sequitur igitur puram veritatem fuisse ab eo assertam; talis autem non esset, si omne genus **Dæmoniorum** non extricaretur a fumo jecoris piscis nisi addita vi supernaturali Angeli, maxime, si hæc esset causa principalis talis effectus, quemadmodum scribunt de hoc casu Doctores. Mentiretur absque dubio medicus qui diceret, talis herba curat taliter pleuritidem, sive epilepsiam, ut amplius non revertatur: si herba illa non curaret illas ægritudines nisi inchoate, et perfecta illarum sanatio esset ab alia herba conjuncta priori; sic pari modo mentitus fuisset Raphael asserens fumum jecoris extricare omne genus **Dæmoniorum** ita ut ultra non accedant, si talis effectus esset a fumo solum inchoate, principaliter vero, et perfecte a virtute Angeli. Præterea talis fuga **Dæmonis**, vel secutura erat universaliter, et semperposito jecore piscis super carbones a quoquam, vel debebat sequi in illo solummodo casu particulari, jecore incusso a juniore Tobia. Si primum, ergo oportet, quod cuicumque talem fumum per accensionem jecoris paranti, assistat Angelus qui supernaturali virtute **Dæmonem** miraculose abigat regulariter; et hoc est absurdum; ad positionem enim rei naturalis deberet regulariter sequi miraculum, quod est incongruum, et si absque Angeli operatione fuga **Dæmonis** non sequeretur, mentitus fuisset Raphael asserens eam esse virtutem jecoris. Si autem effectus ille sequi non debeat, nisi in illo casu particulari, mentitus fuisset Angelus enunciens universaliter virtutem piscis, in fugando omni **Dæmoniorum** genere, quod non est dicendum.

76. Ulterius albugo oculorum detracta est ab oculis Tobiaë senioris, et ipsius cæcitas sanata est a virtute naturali fellis piscis illius, ut Doctores affirmant (Liran. Dyonisius; et Seraci. apud Cornel. in Tob., c. 6. v. 9). Piscis enim Callionymus, qui vocatur Italice bocca in capo, et quo usus est Tobias, fel habet pro celeberrimo remedio ad detegendas albugines oculorum, ut scribunt concorditer Dioscorides, l. 1. c. 96., Galenus, De Simpl. Medicam., Plinius, l. 32. c. 7., Aclanius, De Ver. Histor., l. 13. c. 14. et Vallesius, De Sacr. Philos., c. 47. Textus Græcus Tobiaë, c. 11. v. 13., habet: «Inpersit fel super oculos patris sui, dicens: Confide, Pater; ut autem erosi sunt, detrivit oculos suos, et disquamatae sunt ab angulis oculorum albugines.» Cum igitur eodem contextu Angelus aperuerit Tobiaë virtutem jecoris, et fellis piscis, et hoc sua naturali virtute cæcitatem Tobiaë senioris curaverit, concludendum est, quod etiam fumus jecoris sua naturali vi **Incubum** fugaverit: quod concludenter confirmatur a Textu Græco, qui ad Tobiaë c. 8. v. 2., ubi Vulgata habet: «Partem jecoris posuit super carbones

vivos», sic habet: «Accepit cinerem, sive prunam thimiamatum, et imposuit cor piscis, et hepar, fumumque fecit, et quando odoratus est **Dæmon** odores, fugit.» Et Textus Hebraicus ita cantat: «Percepit **Asmodeus** odorem, et fugit.» Ex quibus textibus apparet, quod **Dæmon** fugit ad perceptionem fumi, sibi contrarii, ac nocentis, non autem a virtute Angeli supernaturali. Quod si in tali liberatione Saræ ab impetitione **Incubi Asmodei**, ultra fumum jecoris intervenit operatio Raphaelis, hoc fuit in alligatione **Dæmonis** in deserto superioris Ægypti, ut dicitur c. 8. v. 3. Tobia; fumus quippe jecoris nequibat in tanta distantia agere in **Dæmonem**, aut illum alligare. Quod inservire potest pro concordia supracitatorum Doctorum (qui voluerunt Saram perfecte liberatam a **Dæmone** virtute Raphaelis) cum sententia, quam tuemur: dico enim, quod ipsi senserint, quod perfecta curatio Saræ a **Dæmone** fuerit in alligatione ejus in deserto, quæ fuit ab Angelo, quod et nos concedimus; sed extricatio, sive fugatio ejusdem a cubiculo Saræ fuerit a vi innativa jecoris piscis, quod nos tuemur.

77. Probatur tertio principaliter nostra conclusio de existentia talium animalium, seu de **Incuborum** corporeitate, ex auctoritate D. Hieronymi, in vita S. Pauli primi Eremitæ. Refert is D. Antonium iter per desertum arripuisse, ut ad visendum D. Paulum perveniret, et post nonnullas diætas itineris Centaurum reperiisse, a quo cum fuisset percontatus mansionem D. Pauli, et ille barbarum quid infrendens potius, quam proloquens, dextræ protensione manus iter D. Antonio demonstrasset, in sylvam se abdidit cursu concitatissimo. Prosecutus iter S. Abbas in quadam valle invenit haud grandem quemdam homunculum, aduncis manibus, fronte cornibus asperata, cujus extrema pars corporis in caprarum pedes desinebat. Ad ejus aspectum substitit Antonius, et timens **Diaboli** artes signo Sanctæ Crucis se munivit. Ad tale signum nec fugit, nec metuit homuncio ille, immo ad sanctum senem actu humili appropinquans palmarum fructus ad viaticum quasi pacis obsides illi offerebat. Tum B. Antonius quisnam esset interrogans, hoc ab eo responsum accepit: «Mortalis ego sum, et unus ex accolis Eremi, quos vario errore delusa Gentilitas Faunos, Satyros, et **Incubos** vocans colit; legatione fungor gregis mei; precamur, ut pro nobis communem Deum depreceris, quem pro salute mundi venisse cognovimus, et universam terram exiit sonus ejus.» Ad quæ gaudens D. Antonius de gloria Christi, conversus ad Alexandriam, et baculo terram percutiens, ait: «Veh tibi, Civitas meretrix, quæ pro diis animalia veneraris!» Hæc D. Hieronymus, qui late prosequitur hoc factum, ipsius virtutem longo comprobans sermone.

78. De hujus historiæ veritate dubitare temerarium est, cum eam constanter referat SS. Ecclesiæ Doctorum maximus D. Hieronymus, de cujus auctoritate nullus Catholicus dubitabit. Addit fol. 21. 25. Notandæ proinde veniunt illius circumstantiæ, quæ sententiam nostram evidentissime confirmant.

79. Primo notandum est, quod si ullus Sanctorum artibus **Dæmonis** impetitus fuit; si ullus diversas ejus artes nocendi calluit; si ullus victorias, ac illustria de eodem trophea reportavit, is fuit D. Antonius, ut constat ex ejus vita a D. Athanasio descripta. Dum igitur D. Antonius homunculum illum non tanquam **Diabolum** agnovit, sed animal intitulavit dicens: Veh tibi, Civitas meretrix, quæ pro Diis animalia veneraris! convincitur, quod ille nullo modo fuit **Diabolus**, seu purus spiritus de cælo dejectus, ac damnatus, sed aliquod aliud animal. Et confirmatur, quia D. Antonius erudiens suos monachos, eosque animans ad metuendas **Dæmonis** violentias, aiebat, prout habetur in lectionibus Breviarii Romani in festo S. Antonii Abb. l. 1., quæ recitantur in festo ipsius: «Mihi credite, Fratres, pertimescit Satanas piorum vigilias, orationes, jejunia, voluntariam paupertatem, misericordiam, et humilitatem; maxime vero ardentem amorem in Christum Dominum, cujus unico Sanctissimæ Crucis signo debilitatus fugit.» Dum igitur homunculus ille, contra quem D. Antonius Crucis signo se munivit, ad ejus aspectum, nec pavit, nec fugit, immo confidenter, humiliterque accessit ad eum dactalos illi offerens, signum est, illum nullo modo **Diabolum** fuisse.

80. Secundo notandum, quod homunculus ille dixit: Mortalis et ego sum; ex quibus verbis docemur, quod ille erat animal morti obnoxium, et proinde, quod per generationem esse accepit: spiritus enim immaterialis immortalis est, quia simplex, et ideo non accipit esse per generationem ex præjacente materia, sed per creationem; unde nec amittit esse per corruptionem, quæ dicitur mors, sed per annihilationem tantum potest desinere esse. Quod si ille se mortalem esse dixit, professus est se esse animal.

81. Tertio notandum, quod ait se cognovisse communem Deum in carne humana fuisse passum. Ex his verbis convincitur illud fuisse animal rationale: siquidem bruta nihil agnoscunt, nisi sensibile et præsens, unde ab ipsis Deus nullo modo cognosci potest. Quod si homunculus ille ait, se cum aliis suis cognovisse Deum in carne

humana passum, hoc probat, quod aliquo revelante habuit notitiam de Deo, sicut etiam nos habemus de illo fidem revelatam; pariterque Deum carnem humanam assumpsisse, et in ea passum: quæ duo sunt articuli nostræ Fidei principales, nempe Dei unius, et Trini existentia, et ipsius Incarnatio, Passio, et Resurrectio; ex quibus omnibus habetur, ut dicebam, illud fuisse animal rationale capax divinæ cognitionis, per revelationem, ut nos, et proinde pollens anima rationali, et ex consequenti immortalis.

82. Quarto notandum, quod oraverit nomine omnium gregis sui, cujus legatione fungi se profitebatur, D. Antonium, ut communem Deum pro illis deprecaretur. Ex his deducitur, quod homunculus ille capax erat beatitudinis, et damnationis, et quod non erat in termino, sed in via: ex hoc enim, quod, ut supra probatum est, se prodidit rationalem, et anima immortalis consequenter donatum, consequens est, quod, et beatitudinis, et damnationis capax sit: hæc enim propria passio est Creaturæ rationalis, ut constat ex natura angelica, et humana. Item deducitur, quod ipse erat in via, et proinde capax meriti, et demeriti: si enim fuisset in termino, fuisset vel beatus, vel damnatus; neutrum autem potuit esse, quia orationes D. Antonii, quibus se commendabat, ipsi nullo modo prodesse potuissent, si fuisset finaliter damnatus; et si beatus fuisset illis non eguisset. Quod ipsi se commendavit, signum est eas sibi prodesse potuisse, et proinde in statu viæ, et meriti.

83. Quinto notandum, quod homunculus ille professus est, se esse legatum aliorum suæ speciei, dum dixit legatione fungor gregis mei, ex quibus verbis plura deducuntur. Unum est, quod homunculus ille non solus erat, unde potuisset credi monstrum raro contingens, sed quod plures erant ejusdem speciei; tum quia simul congregati gregem faciebant; tum quia nomine omnium veniebat: quod esse non posset si multorum voluntates in illum non convenissent. Aliud est, quod isti profitentur vitam socialem: ex quo nomine multorum unus ex ipsis missus est. Aliud est, quod quamvis dicantur habitare in Eremito, non tamen in eo fixa est eorum permanentia: siquidem cum D. Antonius in illa eremo alias non fuisset (distabat enim illa per multas dietas ab eremo D. Antonii), scire non potuerunt quisnam ille esset cujusve sanctitatis; necessarium igitur fuit, quod alibi eum cognoverint, et ex consequenti extra desertum illum vagaverint.

84. Ultimo notandum, quod homunculus ille ait esse ex iis, quos cæco errore delusa Gentilitas Faunos, Satyros et **Incubos** appellant; et ex his verbis convincitur nostrum intentum principale, **Incubos** nempe esse animalia rationalia beatitudinis, et damnationis capacia.

85. Talium homuncionum frequens est apparitio in metallorum fodinis, ut scribit Gregorius Agricola, lib. De Animal. subterranean., prope finem. Isti nempe coram fossoribus minerarum comparent induti habitu, qualem habent fossores ipsi, et jocantur inter se, tripudiantque, ac rident et cachinnantur, parvosque lapides joco mittunt in metallarios, et tunc signum est, ait Auctor prædictus, optimi proventus, ac inventionis alicujus rami, aut trunci principalis arboris mineralis.

86. Tales homunculos subterraneos negat Petrus Thyraeus Novesianus, lib. De Terrificatio. Noctur., c. 2., per totum, nixus argumentis sane puerilibus, quæ sunt hæc: si darentur hujusmodi homunciones, ubinam degunt, et quænam, et ubi habent sua domicilia, qua ratione genus suum conservant, si per generationem, aut quomodo? si orientur, et intereant, quo cibo vitam suam sustentent; si beatitudinis, et damnationis capaces sunt, et quibus mediis propriam salutem consequantur? Hæc sunt argumenta Thyraei, quibus permotus negat talem existentiam.

87. Sed viri parum cordati est negare id, quod graves Auctores, fideque digni scribunt, quodque quotidiana constat experientia. Argumenta Thyraei nec minimum cogunt, ac ea solvimus supra a n^o 45. et seq. Remanet solum satisfacere quæstioni ubinam locorum habitent hujusmodi homunculi, seu **Incubi**? Ad quod dico, quod ut supra dedimus n^o 71. ex **Guaccio**, istorum alii sunt terrei, alii aquei, alii ærei, alii ignei, quorum nempe corpora, aut constant ex talium elementorum subtiliori parte, sive licet ex pluribus constant elementis, prævalet tamen in iis, aut aqua, aut ær pro ipsorum natura. Mansiones igitur, et domicilia eorum erunt in elemento illo cujus natura in eorum corporibus prævalet: ignei enim nisi violenter, et forte nullomodo in aquis aut locis palustribus morabuntur, cum hæc sint sibi contraria, nec aquei ad superiorem ætheris partem ascendere poterunt ob sibi repugnantem regionis illius subtilitatem, quod etiam videmus accidere hominibus, qui ad quorundam Alpium summa juga pervenire nequeunt præ summa æris subtilitate, quæ homines crassiori æri assuetos nutrire nequit.

88. *Pluribus sanctorum Patrum auctoritatibus, quas congerit Molina in p. p. D. Thom., q. 50., ar. 1. circa med., probare possemus Dæmonum corporeitatem; quæ tamen stante determinatione Concilii Lateranensis de incorporeitate Angelorum, ut dictum fuit supra n^o 37., exponi debent de Dæmonibus istis Incubis, ac viatoribus adhuc, non autem de Damnatis. Tamen ne nimis longus sim, solius D. Augustini, summi Ecclesiæ Doctoris, auctoritates damus, quibus evidenter convincitur illum fuisse in sententia, quam nos docemus.*

89. *D. Augustinus igitur, lib. 2. super Genesim ad litteram c. 17. de Dæmonibus, sic habet: «Quædam vera nosse, partim quia subtiliore sensus acumine, partim quia subtilioribus corporibus vigent,» et lib. 3. c. 1., «etsi Dæmones ærea sunt animalia, quoniam corporum æreorum natura vigent.» Et Epistola 115. ad Hebridium affirmat, eos esse «animantia ærea, seu ætherea acerrimi sensus.» Et de Civit. Dei lib. 11. c. 23, affirmat «Dæmonem pessimum habere corpus æreum.» Et lib. 21. c. 10. scripsit: «Sunt sua quædam etiam Dæmonibus corpora, sicut doctis hominibus visum est, ex isto ære crasso et humido.» Et lib. 15. c. 23. ait «se non audere definire, an Angeli corpore æreo, ita corporati possint etiam hanc pati libidinem, ut quomodo possint, sentientibus fœminis misceantur.» Et in Enarrat. in Psal. 85. ait «corpora beatorum futura post resurrectionem, qualia sunt corpora Angelorum;» et Enarrat. in Psal. 14. 5. ait «corpus Angelicum inferius esse anima.» Et lib. De Divinit. Dæmonum, passim per totum, maxime c. 23., docet «Dæmones subtilia habere corpora.»*

90. *Potest etiam sententia nostra auctoritatibus Sacræ Scripturæ comprobari, quæ licet ab Expositoribus aliter declarentur, non incongrue tamen ad nostrum intentum possunt aptari. Prima est Psalmi 77., v. 24. et 25., ubi habetur: panem Angelorum manducavit homo, panem cœli dedit eis. Hic loquitur David de Manna, qua cibatus fuit Populus Israel toto tempore, quo peregrinus fuit in deserto. Quærendum ergo venit, quo sensu Manna dici possit panis Angelorum. Scio quidem plerosque Doctores exponere hunc passum in sensu mystico, aientes in Manna figuratam esse Sacram Eucharistiam, quæ vocatur panis Angelorum, quia Angeli fruuntur visione Dei, qui per concomitantiam in Eucharistia reperitur.*

91. *Sed hæc expositio aptissima est quidem, et quam amplectitur Ecclesia in officio Sanctissimi Corporis Christi, sed in sensu spirituali est. Ego autem quæro sensum litteralem: neque enim in illo Psalmo David loquitur propheticæ de futuris, sicut facit in aliis locis, ut proinde facile non sit sensum litteralem habere; sed loquitur historicæ de præteritis. Ille enim Psalmus, ut patet legenti, est pura anacephalestis, seu compendium omnium beneficiorum, quæ contulit Deus Populo Hebræo ab egressu ipsius de Aegypto, usque ad tempus Davidis, et in eo versu loquitur de Manna Deserti, ut proinde quærat quomodo, et quo sensu Manna vocetur Panis Angelorum.*

92. *Scio alios, Lyran., Euthim., Bellarm., Titelman., Genebrard., in Psal. 77. v. 24. et 25., interpretari Panem Angelorum Panem ab Angelis paratum, seu Angelorum ministerio a Cælo demissum; Hugonem autem Cardinalem Panem Angelorum exponere: quia ille cibus hoc efficiebat in Judæis, quod in Angelis efficit cibus illorum, pro parte: Angeli enim non incurrunt infirmitatem. Voluerunt enim expositores Hebræi, ut etiam asseverat Josephus, quod Judæi in Deserto vescentes manna, nec senescerent, nec ægrotarent, nec lassarentur; proinde illa esset tanquam panis, quo vescuntur Angeli, qui nec senio, nec ægritudine, nec lassitudine unquam laborant.*

93. *Istas quidem expositiones recipere æquum est, utpote tantorum Doctorum auctoritate suffultas. Facessit tamen difficultatem, quod ministerio Angelorum Hebræis non minus parata fuere columna nubis, et ignis, coturnices, et aqua de petra, quam manna; nec tamen ista dicta fuere columna, aqua, aut potus Angelorum. Cur ergo potius vocari deberet manna, quia parata ministerio Angelorum, Panis Angelorum, quam Potus Angelorum aqua eorumdem ministerio saxo educta? Insuper in sacra Scriptura panis dum dicitur panis alicujus, dicitur panis ejus qui illo vescitur, non ejus qui illum parat, aut fabricat, et de hoc infinita habemus exempla in sacra Scriptura: ut Exod. c. 23. v. 25. Benedicam panibus tuis, et aquis; lib. 2. Reg. c. 12. v. 3. De pane illius comedens; Tob. c. 4. v. 17. Panem tuum cum egenis comede; et v. 18. Panem tuum super sepulturam Justi constitue; Ecclesiast. c. 11. v. 1. Mitte panem tuum super transeuntes aquas; Isai. c. 58. v. 7. Frange esurienti panem tuum; Jerem. c. 11. v. 19. Mittamus lignum in panem ejus; Matth. c. 15. v. 26. Non est bonum sumere panem filiorum; Luc. c. 11. v. 3. Panem nostrum quotidianum. Ex quibus locis patenter habetur, quod panis*

dicitur ejus, qui eo vescitur, non vero, qui ipsum conficit, affert, aut parat. Commodè igitur in loco citato Psalmi accipi potest Panis Angelorum, cibus quo vescuntur Angeli non quidem incorporei (isti enim materiali cibo non egent), sed corporei, ista nempe rationalia animalia, de quibus hucusque disseruimus, degentia in ære, et quæ ratione tenuitatis suorum corporum, ac rationalis naturæ, quam maxime ad Angelos immateriales accedunt, ut proinde nuncupentur.

94. *Ducor, quia cum animalia sint, et ideo generabilia et corruptibilia, egent cibo, ut restauretur substantia corporea, quæ per effluvia deperditur; vita enim sentientis non consistit nisi in motu partium corporearum quæ fluunt, ac refluent, acquiruntur, ac deperduntur, ac iterum reparantur; quæ reparatio fit per substantias spirituosas, materiales tamen, attractas a vivente, tum per æris inspirationem, tum per fermentationem cibi, per quam substantia illius spiritualizatur, ut rationatur doctissimus Etmullerus, Instit. Medic. Physiolog., c. 2.*

95. *Quia autem eorum corpus tenue est, tenui pariter, et subtili eget alimento. Hinc est quod sicut odoribus aliisque substantiis vaporosis, ac volatilibus suæ naturæ contrariis læduntur ac fugantur, ut constat ex historiis recitatis supra, n^o 71. et 72., ita paribus rebus sibi convenientibus delectantur, et aluntur. Porromanna non est aliud, quam halitus aquæ, terræque, solis calore exacte attenuatus et coctus, a frigore secutæ noctis in unum coactus, densatusque, ut scribit Cornelius; manna dico, quam demissam de cælo comederunt Hebræi, quæ toto cælo differt a manna nostrate, quæ in medicinis adhibetur; nam hæc, ut scribit Etmullerus Schroder, Dilucid. Physiolog., c. 1. de Manna, fol. m. 154., nihil aliud est, quam succus quarumdam arborum tenuis, vel earum transsudatio, quæ nocturno tempore permixta cum rore, matutino tempore superventu caloris solis coagulatur, et inspissatur. Manna autem Hebræorum diversis orta principiis calore solis non coagulabatur, sed vice versa liquefiebat, ut patet ex Scriptura, Exod. c. 16. v. 22. Manna ergo Hebræorum utpote constans ex halitibus tenuibus terræ et aquæ, profecto tenuissimæ erat substantiæ, utpote, quæ a sole solvebatur, et disparebat; optime ergo potuit esse talium animalium cibus, ita ut diceretur a David Panis Angelorum.*

96. *Alia auctoritas habetur in Evangelio Joannis, in quo, Joannes, c. 10. v. 16., ita dicitur: Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus Pastor. Si quæramus quænam sint oves, quæ non sunt ex hoc ovili, et qualenam sit ovile de quo loquitur Christus Dominus, respondent communiter Expositores unum ovile Christi esse Ecclesiam, ad quam perducendi erant per prædicationem Evangelii Gentiles, qui erant oves alterius ovilis, ab ovili Hebræorum: opinantur enim Synagogam esse Christi ovile, quia dicebat David, Psal. 94. v. 9: Nos populus ejus et oves pascuæ ejus; et quia Messias promissus fuerat Abraham et David oriturus ex eorum semine, et a populo Hebræo expectatus, et a Prophetis qui Hebræi erant vaticinatus, et ejus adventus, conversatio, passio, mors et resurrectio in sacrificiis, cultu, et ceremoniis Hebræorum legis erant præfigurata.*

97. *Sed salva semper Sanctorum Patrum, ac aliorum Doctorum reverentia, non videtur talis expositio ad plenum satisfacere. Habemus enim quod de fide est a principio mundi Ecclesiam Fidelium extitisse unam, usque ad finem sæculi duraturam. Cujus Ecclesiæ caput est mediator Dei et hominum Christus Jesus, cujus contemplatione creata sunt universa, et omnia per ipsum facta. Fides enim unius Dei Trini (quamvis non ita explicite), et Verbi Incarnatio revelata fuit primo homini, et ab ipso edocti ejus filii, et ab iis descendentes. Hinc est quod quamvis plerique homines ad idolatriam deflexerint, ac veram fidem deseruerint, multi tamen veram fidem a patribus sibi traditam retinuerunt, et legem naturæ servantes in vera Ecclesia Fidelium permanserunt, ut observat Cardinalis Toletus in Job, c. 10. v. 16., et apparet in Job, qui inter Gentiles Idololatrias sanctus fuit. Quamvis autem Deus populo Hebræo speciales favores contulerit, peculiaremque legem, ac ceremonias illi præscripserit, ac a Gentilibus segregaverit, non tamen ad eam legem Gentes tenebantur, nec fideles Hebræi aliam Ecclesiam constituebant ab Ecclesia Gentilium, qui fidem unius Dei et Messię venturi profitebantur.*

98. *Hinc est, quod etiam ex Gentilibus fuere, qui Christi adventum, et alia Christianæ fidei dogmata prophetarunt, ut patet de Balaam, Mercurio Trismegisto, Hydaspæ, ac Sibyllis de quibus loquitur Lactantius, lib. 1. c. 6., ut scribit Cardinalis Baronius in Apparatu Annal. n^o 18. Et quod Messias erat a Gentilibus expectatus habet Isaias in pluribus locis, et luculentum testimonium de hoc est prophetia Patriarchæ Jacob de Messia, quæ sic ait, Gen. c. 49. v. 10: Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio Gentium. Item Prophetia Aggæi, c. 2. v. 8: Movebo omnes Gentes, et veniet desideratus*

cunctis gentibus, quem locum explicans *Cornelius a Lap.* in *Aggæ. c. 2. v. 8. § Denique gentes, ait: Gentes ante Christum credentes in Deum lege naturæ, æque ac Judæi expectabant ac desiderabant Christum. Pariter Christus ita se prodidit, et manifestavit Gentibus, sicut Judæis: si enim in ipsius nativitate per Angelum ejus notitia data fuit Pastoribus, per stellam miraculosam ad sui adorationem vocavit Magos, qui cum essent Gentiles fuerunt primitiæ Gentium in Christo agnoscendo, et adorando, ut ait S. Fulgentius, Sermon. 6. de Epiph., sicut Pastores fuerunt primitiæ Judæorum. Itidem manifestatio adventus Christi per prædicationem (non quidem Apostolorum) prius facta est Gentilibus, quam Judæis: siquidem ut scribit *Ven. Mater Soror Maria de Agreda, in Vita J. C. et B. M. V., p. 1. l. 4. c. 26. n. 664:* Quando B. M. Virgo cum S. Joseph portavit Puerum Jesum in Aegyptum, fugiendo Herodis persecutionem, mansit ibi per septennium: quo tempore ipsa Beatissima Virgo prædicavit Aegyptiis veri Dei fidem, et Filii Dei in carne humana adventum. Ulterius in Christi nativitate multa fuere prodigia non solum in Judæa, sed in Aegypto, ubi corruerunt idola, ac oracula conticuere; Romæ ubi fons olei scaturiit; visus globus aurei coloris de cælo in terram descendere; apparuere tres soles; ac contra naturam circulus variegatus ad modum Iridis solis discum circumscripsit; in Græcia, ubi oraculum Delphicum obmutuit, et interrogatus Apollo ab Augusto ipsi sacrificante in proprio palatio, ubi eidem aram extruxerat, de causa silentii sui, respondit, ut referunt *Nicephorus, l. 1. c. 17., Suidas, verbo Augustus, et Cedrenus, Compend. Histor.:**

*Me puer Hebræus, Divos Deus ipse gubernans,
Cedere sede jubet, tristemque redire sub orcum;
Aris ergo dehinc tacitis abscedito nostris.*

Et multa alia acciderunt prodigia, quibus prænuntiabatur Gentilibus Filii Dei adventus, quæ ex variis Auctoribus recitat Baronius, Appar. Annal. Eccles. n^o 24. et seq., et Cornelius in Aggæ. c. 2. v. 8.

99. *Ex istis patet, quod etiam Gentiles pertinebant ad ovile Christi idem, ad quod spectabant Judæi, puta ad Ecclesiam eandem fidelem; igitur non potest recte dici, quod illa verba Christi: Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, accipienda sint de Gentilibus, qui communem cum Hebræis habuerunt de Deo fidem, de Messia spem, prophetiam, expectationem, et signa, et prædicationem.*

100. *Dico igitur quod nomine aliarum ovium commode possunt intelligi Creaturæ istæ rationales, sive animalia de quibus hucusque disseruimus. Cum enim, ut diximus, capaces sint beatitudinis, et damnationis, et Christus Jesus sit mediator Dei, et hominum, immo totius rationalis Creaturæ (creaturæ enim rationales, quæ beatitudinem consequuntur, hanc obtinent intuitu meritorum Christi per ab eo sibi collatam gratiam, sine qua nequit beatitudo obtineri), debuit omnis rationalis creatura de eo venturo spem habere, sicut de uno Deo fidem, et de ipsius in carne nativitate, et de præceptis legis gratiæ manifestationem. Istæ igitur erant oves, quæ non erant ex hoc ovili humano, et quas adducere Christum oportebat, et quæ ejus vocem nempe notitiam de ipsius adventu, et de evangelica doctrina, quantum per se, tum per Apostolos Christus erat manifestaturus audire debebant, et ex iis, ac hominibus in cælo beatificatis fieri unum ovile, et unus Pastor.*

101. *Huic expositioni quam incongruam non puto, vim addit id quod supra n^o 77. ex D. Hieronymo retulimus de homunculo illo qui rogavit D. Antonium, ut communem Deum, quem in carne humana esse passum cognoverat, pro se et suis deprecaretur. Innuitur enim ex his, quod illi notitiam habuerunt de adventu, et morte Christi, quem tamquam Deum optabant sibi propitium, ut proinde ad hoc intercessionem D. Antonii exostularent.*

102. *Facit ad idem id, quod ex Eusebio de Præparat. Evang. l. 5. c. 9., et Plutarcho l. de Defectu Oracul., refert Cardinalis Baronius Appar. Annal. n^o 129., et recenset inter prodigia, quæ tempore mortis Christi evenere. Recitat igitur ex citatis Auctoribus quod Tiberii Imperatoris, sub quo passus est Christus, tempore, navigantibus nonnullis a Græcia in Italiam, circa Insulas Echinades, cessatis ventis, noctu navigium appulit prope terram. Audita fuit ab omnibus vox magna quæ vocavit Tramnum. Erat is Nauclerus navigii, quo respondente Adsum, replicavit vox: Quando perveneris prope quandam paludem, annuntiabis MAGNUM PANA MORTUUM ESSE: quod cum Tramnus fecisset, auditi sunt repente multorum, imo multitudinis prope infinitæ gemitus, et ululatus. Profecto isti fuerunt **Dæmones**, seu Angeli corporei, seu animalia rationalia prope paludem degentia, utpote aquea, quæ audita morte Christi, qui nomine magni Pan efferebatur, in lacrymas, et lamenta effusa sunt; prout etiam Hebræi nonnulli visa Christi morte percutientes pectora sua revertebantur (Luc. c. 23.*

v. 48.). Ex hucusque igitur deductis patet, quod dantur hujusmodi *Dæmones*, *succubi* et *incubi*, constantes sensu, et ipsius passionibus obnoxii, ut probatum est; qui generantur, corrumpuntur, et capaces sunt beatitudinis, et damnationis, et ratione corporis subtilioris, nobiliores homine sunt, et qui si cum hominibus, maribus aut *fæminis*, carnaliter commiscentur, peccant, et eo peccato, quo peccat homo jungendo se cum bruto, quod est homine ignobilius; proinde non raro hi *Dæmones* consuetudinem habentes cum homine, equabus aut plurimum post longam habitam communicationem eas interficiunt. Causa porro hujus est, quod si inter tales datur peccatum, cum sint in via, dari etiam debet pœnitentia; sicut ergo homini peccanti consuetudinaliter cum bruto, ad tollendam occasionem recidivandi, Confessarius injungit, ut brutum tollat de medio, ita tali *Dæmoni* consuetudinario in peccato, et tandem pœnitenti accidit, ut animal cum quo peccavit, sive homo, sive brutum fuerit, occidat; nec enim tali *Dæmoni* mors data homini peccatum erit, sicut mors data bruto non imputatur tamquam peccatum homini: ratione enim essentialis differentiae inter *Dæmonem* hujusmodi, et hominem, idem erit homo *Dæmoni*, quod est homini brutum.

103. Scio multos, et forte plerosque, qui hæc legerint, dicturos de me, quod Epicurei, et Stoici Philosophi nonnulli dixerunt de Divo Paulo, Actor. c. 17. v. 18.: Novorum *Dæmoniorum* videtur annunciator, et datam doctrinam exsibillabunt. Sed isti tenebuntur solvere argumenta supra posita, et dicere quinam sint *Dæmones* isti *Incubi* vulgo Folletti, qui exorcismos, res sacras, et Christi Crucem non pavent, ac alios effectus istorum, ac phænomena salvare, quæ nos ex data doctrina ostendimus.

104. Solvitur ergo ex his, quæ hucusque deducta sunt, quæstio, quam proposuimus supra n^o 30. et n^o 34.: resolute innuimus; quomodo mulier potest ingravidari a *Dæmone Incubo*. Non enim hoc præstare potest ex semine sumpto ab homine, ut fert communis opinio, quam confutavimus n^o 31 et 32: sequitur ergo, quod ipsa imprægnatur a semine *Incubi*, cum enim animal sit, et generet, proprio pollet semine: et hoc modo optime salvatur generatio *Gigantum* secuta ex commixtione Filiorum Dei cum Filiabus hominum; nati siquidem sunt ex tali concubitu *Gigantes*, qui licet homini essent similes, corpore tamen erant majores: et quamvis a *Dæmonibus* geniti, viribus proinde pollerent, non tamen *Dæmonum* vires et potentiam æquabant, ut sequitur in mulis, hinnis et burdonibus, qui medii quodammodo sunt inter eas species animalium, a quibus promiscue generantur, et superant quidem imperfectiorem, non attingunt autem perfectiorem speciem generantium: mulus enim superat asinum, sed non æquat perfectionem equæ, a quibus generatur.

105. Confirmat autem hanc sententiam consideratio, quod animalia genita ex commixtione diversarum specierum non generant; sed sunt sterilia, ut patet in mulis. *Gigantes* autem non leguntur *Gigantes* generasse, sed natos a Filiis Dei, puta *Incubis*, et filiabus hominum: cum enim concepti fuerint ex semine *Dæmoniaco* mixto cum humano, non potuerunt, tamquam mediæ speciei inter *Dæmonem* et hominem, generare.

106. Dicetur fortasse contra hoc, non posse, ex semine *Dæmonum*, quod pro sui natura oportet esse tenuissimum, fieri mixturam cum semine humano, quod crassum est; unde nec generatio sequi possit.

107. Respondeo quod, ut dictum fuit supra n^o 32: virtus generandi consistit in spiritu, qui simul cum materia spumosa et viscida deciditur a generante; sequitur ex hoc, quod semen *Dæmonis* quantumvis tenuissimum, quia tamen materiale, optime potest commisceri cum spiritu materiali seminis humani, ac fieri generatio.

108. Replicabitur adhuc contra conclusionem, quod si vere fuisset *Gigantum* generatio ex semine *Incuborum* et Mulierum, nunc quoque *Gigantes* nascerentur, non desunt enim mulieres coeuntes cum *Incubis*, ut patet ex gestis SS. Bernardi et Petri de Alcantara, et aliarum historiarum, quæ passim ab Auctoribus recitantur.

109. Respondeo, quod prout ex *Guaccio* dictum fuit supra n^o 81: alii sunt hujusmodi *Dæmones* terrei, alii aquei, ærei alii, et alii ignei, qui respective in propriis eorum elementis habitant. Videmus autem animalia eo majora esse, quo majus est elementum in quo degunt, ut patet in piscibus, inter quos licet multi sint minuti, ut etiam sunt plura animalia terrestria minutissima, et tamen quia elementum aquæ majus est elemento terræ (utpote continens majus semper est contento), ideo pisces a tota specie superant in magnitudine molis animalia terrestria, ut patet in balenis, orcynis, pistis seu pisticibus, thynnibus, ac aliis piscibus cetaceis, seu viviparis, qui

quodvis animal terrestre longe superant. Porro cum **Dæmones** hujusmodi animalia sint, ut hucusque probatum est, eo erunt majores in magnitudine quo elementum majus pro sui natura inhabitabunt. Et cum ær excedat aquam, et ignis ære major sit, sequitur, quod **Dæmones** ætherei, ac ignei longe superabunt terrestres et aqueos, tum in mole corporis, tum in virtute. Nec contra hoc facit instantia de avibus, qui licet incolant ærem, qui major est aqua, tamen corpore minores sunt a tota specie piscibus et quadrupedibus, quia aves licet per ærem volatu spatiantur, revera tamen pertinent ad elementum terræ, in qua quiescunt; aliter enim pisces nonnulli qui volant, ut hirundo marina, et alii, dici deberent animalia ærea, quod falsum est.

110. Advertendum autem, quod post diluvium ær iste terraqueo globo citissimus magis incrassatus est ex humiditate aquarum, quam fuerit ante diluvium, et hinc forte est, quod ex tali humido, quod est principium corruptionis, fiat, quod homines non ætatem ita producant, ut faciebant ante diluvium. Ex ista autem æris crassitie fit, quod **Dæmones** ætherei, ac ignei, cæteris corpulentiores, nequeunt diutius manere in hoc ære crasso, et si descendunt aliquando hoc fit violenter, et eo modo quo urinatores ad ima maris descendunt.

111. Ante diluvium autem, cum adhuc ær non ita crassus erat, veniebant **Dæmones**, et cum mulieribus miscebantur, et **gigantes** procreabant, qui magnitudinem corpoream **Dæmonum** generantium æmulabantur. Nunc vero ita non est: **Dæmones** enim **Incubi**, qui fæminas incessunt, sunt aquei quorum corporis moles magna non est: et proinde in forma homuncionum apparent, et quia aquei etiam salacissimi sunt; luxuria enim in humido est: ut proinde Venerem e mari natam Poetæ finxerint, quod Mythologi explicant de libidine, quæ oritur ab humiditate. Cum ergo **Dæmones**, qui corpore parvi sunt, his temporibus mulieres imprægnent, non **gigantes**, sed stature ordinariæ filii nascuntur. Sciendum porro quod si miscentur corporaliter cum mulieribus **Dæmones** in sua ipsorum corpulentia naturali, nulla facta immutatione aut artificio, mulieres illos non vident, nisi tanquam umbram pæne incertam, ac quasi insensibilem, ut patet in muliere illa, de qua diximus supra n^o 28., quæ osculabatur ab **Incubo**, cujus tactus vix ab ea sentiebatur. Quando vero volunt se visibiles amasiis reddere, atque ipsis delectationem in congressu carnali afferre, sibi indumentum visibile assumunt, et corpus crassum reddunt. Qua vero hoc arte fiat, ipsi norunt. Nobis curta nostra Philosophia hoc non pandit. Unum scire possumus, et est, quod tale indumentum seu corpus ex solo ære concreto constare nequiret, hoc enim esse deberet per condensationem, et proinde per frigus; unde oporteret, quod corpus illud ad tactum esset veluti glacies, et ita in coitu mulieres non delectaret, sed torqueret, cum tamen contrarium eveniat.

112. Visa igitur differentia **Dæmonum** spiritualium, qui cum **Sagis** coeunt, et **Incuborum**, qui cum fæminis minime **Sagis** rem habent, perpendenda est gravitas hujus criminis in utroque casu.

113. In coitu **Sagarum** cum **Dæmonibus**, eo quia non fit nisi cum apostasia a Fide, et **Diaboli** cultu, et tot aliis impietatibus quas recensuimus supra a n^o 12. ad 24., est maximum quorumque peccatorum, quæ ab hominibus fieri possunt: et ratione tantæ enormitatis contra Religionem, quæ præsupponitur coitu cum **Diabolo**, profecto **Dæmonialitas** maximum est criminum carnalium. Sed spectato delicto carnis ut sic, et ut abstracto a peccatis contra Religionem, **Dæmonialitas** redigenda est ad simplicem pollutionem. Ratio, et quidem convincentissima, est quia **Diabolus**, qui rem habet cum **Sagis**, purus spiritus est, et est in termino ac damnatus ut dictum supra fuit; proinde si cum **Sagis** coit, hoc facit in corpore assumpto, aut a se formato, ut sentiunt communiter Theologi. Porro corpus illud quamvis moveatur, non tamen vivens est; sequitur ergo quod coiens cum tali corpore, sive mas sive fæmina fuerit, idem delictum committit, ac si cum corpore inanimato, aut cadavere coiret, quod esset simplex mollities, ut alias demonstravimus. Verum est, quod, ut observavit etiam Cajetanus, talis coitus effective potest habere deformitates aliorum criminum juxta corpus a **Diabolo** assumptum, et vas: si enim assumeret corpus virginis consanguineæ, aut sacræ, effective esset tale crimen incestus aut sacrilegium, et si in figura bruti coiret, aut in vase præpostero, evaderet bestialitas, aut Sodomia.

114. In coitu autem cum **Incubo**, in quo nulla habetur qualitas, vel minima, criminis contra Religionem, difficile est rationem invenire, per quam tale delictum Bestialitate et Sodomia gravior esset. Siquidem gravitas Bestialitatis præ Sodomia, prout supra diximus, consistit in hoc, quod homo vilificat dignitatem suæ speciei jungendose cum bruto, quod est speciei longe inferioris sua. In coitu autem cum **Incubo** diversa est ratio: nam **Incubus** ratione spiritus rationalis, ac immortalis, æqualis est homini; ratione vero corporis nobilioris, nempe subtilioris, est perfectior, et dignior homine; et hoc modo homo jungens se **Incubo** non vilificat, immo dignificat

suam naturam, et ita, juxta hanc considerationem, *Dæmonialitas* nequit esse gravior Bestialitate.

115. Tamen gravior communiter censetur, et ratio, meo videri, potest esse: quia peccatum contra Religionem est, quævis communicatio cum *Diabolo*, sive ex pacto, sive non; puta habendo cum eo consuetudinem aut familiaritatem, seu ab eo petendo auxilium consilium, favorem, aut ab ipso quærendo revelationem futurorum, relationem præteritorum, absentium, aut alias occultorum. Hujusmodi autem homines, seu mulieres, concumbendo cum *Incubis*, quos nesciunt animalia esse, sed putant esse *Diabolos*, contra conscientiam erroneam delinquent; et hoc modo ex conscientia erronea ita peccant cum *Incubis* se jungendo, ac si cum *Diabolis* coirent: unde et gravitatem ejusdem criminis incurrunt.

FINIS

APPENDICE



Probatio **Dæmonialitatis**

SUMMARIUM

1. De probatione criminis **Dæmonialitatis**, distinguendum est.
 2. Indicia probantia coitum **Sagæ** cum **Diabolo**.
 3. Requiritur confessio ipsius **Malefici** ad plenam probationem.
 4. Historia de Moniali habente consuetudinem cum **Incubo**.
 5. Si adsint indicia visa in recitata historia, potest ad torturam deveniri.
-
1. Quantum ad probationem hujus criminis attinet, distinguendum est de **Dæmonialitate**, puta, vel ejus, quæ a **Sagis**, seu **Maleficis** fit cum **Diabolis**; sive de ea, quæ ab aliis fit cum **Incubis**.
 2. Quoad primam, probato crimine pacti facti cum **Diabolo**, probata remanet **Dæmonialitas** ex consequentia necessaria; nam scopus tum **Sagarum**, tum **Maleficorum** in ludis nocturnis, ultra convivias, et choreas, est hujusmodi infamis congressus: aliter, illius criminis nullus potest esse testis, quia **Diabolus**, qui **Sagæ** visibilis est, aliorum oculos effugit. Verum est, quod aliquoties visæ sunt mulieres in sylvis, agris, et nemoribus, supinæ jacentes, ad umbilicum tenus denudatæ, et juxta dispositionem actus venerei, divaricatis, et adductis cruribus, clunes agitare, prout scribit **Guacc.**, lib. p. cap. 12, v. Sciendum est sæpius, fol. 65. Tali casu emergeret suspicio vehemens talis criminis, dummodo esset aliunde adminiculata, et crederem talem actum per testes sufficienter probatum, sufficere Judici ad indagandam tormentis veritatem; et hoc maxime, si post aliqualem moram in illo actu, visus fuisset a muliere elevari quasi fumus niger, et tunc mulierem surgere, prout ibidem scribit **Guaccius**; talis enim fumus, aut umbra, **Dæmonem** fuisse concumbentem cum fæmina inferre potest. Sicut etiam, si mulier visa fuisset concumbere cum homine, qui post actum de repente evanuit, ut non semel accidisse idem auctor ibidem narrat.
 3. Cæterum, ad probandum concludenter aliquem esse **Maleficum**, seu **Maleficam**, requiritur propria Confessio; nullus enim haberi potest de hoc testis, nisi forte sint alii **Malefici**, qui in judicio deponunt de complicitibus; sed quia socii criminis sunt, eorum dictum non concludit, nec etiam ad torturam sufficit, nisi alia exstent indicia, puta, sigillum **Diaboli** impressum in eorum corpore, prout diximus supra num. 23.; et in eorum domibus, facta perquisitione, inveniantur signa, ac instrumenta artis **Diabolicæ**, ut ossa mortuorum, præsertim calvariam; crines artificiose contextos; nodos plumarum intricatos; alas, aut pedes, aut ossicula vespertilionum, aut bufonum, aut serpentium; ignotas seminum species; figuras cereas; vasculos plenos incognito pulvere, aut oleo, aut unguentis minime notis, etc., ut ordinarie contingit reperiri a Judicibus, qui, accepta accusatione de hujusmodi **Sagis**, ad capturam, et domus visitationem deveniunt, ut scribit Delbene, de Off. S. Inquis., Par. 2. Dub. 206. num. 7.
 4. Quantum vero ad probationem congressus cum **Incubo**, par est difficultas; non minus enim **Incubus**, ac alii **Diaboli** effugiunt, quando volunt, visum aliorum, ut videri se faciunt a sola amasia. Tamen non raro accidit, quod etiam visi sint **Incubi** modo sub una, modo sub alia specie in actu carnali cum mulieribus. In quodam Monasterio (nomen ejus et urbis taceo, ne veterem ignominiam memoriæ refricem) quædam fuit Monialis, quæ cum alia Moniali, quæ cellam habebat suæ contiguam, simultatem ex levibus causis, ut assolet inter Mulieres, maxime Religiosas, habebat. Hæc **Sagax** in observando quascunque actiones Monialis sibi adversæ, per plures dies vidit, quod ista in diebus æstivis, statim a prandio non spatiabatur per viridarium cum

aliis, sed ab iis sequestra, se retrahebat in cellam, quam sera obserabat. Observatrix igitur æmula curiositate investigans, quid tali tempore illa facere posset, etiam ipsa in propriam cellam se recipiebat; cœpit autem audire submissam quasi duorum insimul colloquentium vocem (quod facile erat, nam cella parvo simplicis, scilicet lateris unius, disternio dividebatur), mox sonitum poppysmatum, [1] concussionis lecti, gannitus, ac anhelitus, quasi duorum concumbentium; unde aucta in æmula curiositate, accuratius stetit in observatione, ut sciret, quinam in illa cella essent. Postquam autem per tres vices vidit, nullam aliam Monialem egressam e cella illa, præter æmulam, dominam cellæ, suspicata est, Monialem in camera absconditum aliquem virum, clanculum introductum retinere; unde et rem detulit ad Abbatissam, quæ consilio habita cum Discretis, voluit audire sonitus, et observare indicia relata ab accusatrice, ne præcipitanter, et inconsiderate ageret. Abbatissa igitur cum Discretis se receperunt in Cellam observatricis, et audierunt strepitus, et voces, quas accusatrix detulerat. Facta igitur inquisitione, an ulla Monialium potuisset secum in illa Cella clausa esse, et reperto, quod non; Abbatissa cum Discretis fuit ad ostium Cellæ clausæ, et pulsato frustra pluries ostio, cum Monialis nec respondere, nec aperire vellet; Abbatissa minata est, se velle ostium prosterni facere, et vecte aggredi opus fecit a quadam conversa. Tunc aperuit ostium Monialis, et facta perquisitione, nullus inventus est in camera. Interrogata Monialis cum quonam loqueretur, et de causa concussionis lecti, anhelituum, etc., omnia negavit. Cum vero res perseveraret, accuratior, ac curiosior reddita Monialis æmula perforavit tabulas lacunaris, ut posset Cellam intropicere; et vidit elegantem quemdam juvenem cum Moniali concumbentem, quem etiam eodem modo ab aliis Monialibus videndum curavit. Delata mox accusatione ad Episcopum, ipsaque Moniali omnia negante, tandem metu tormentorum comminatorum adacta, confessa est, se cum **Incubo** consuetudinem habuisse.

5. Quando igitur adessent talia indicia, sicut in recitata historia intervenerunt, posset utique in rigoroso examine Rea constitui; sine tamen ejus confessione, non censendum est delictum plene probatum, quantumvis a testibus visus fuisset congressus; siquidem aliquando accidit, quod **Diabolus** ut infamiam alicui innocenti pararet, præstigiose talem concubitum repræsentaverit. Unde in his casibus debet Judex Ecclesiasticus esse perfecte oculatus.

Pœnæ

Quantum ad pœnas **Dæmonialitatis**, nulla lex Civilis, aut Canonica, quam legerim, reperitur, quæ pœnam sanciat contra crimen hujusmodi. Tamen, quia crimen hoc supponit pactum, ac societatem cum **Dæmone**, ac apostasiam a fide, ultra **veneficia**, atque alia infinita propemodum damna, quæ a **Maleficis** inferuntur, regulariter extra Italiam, suspendio, et incendio punitur. In Italia autem, rarissime traduntur hujusmodi **Malefici** ab Inquisitoribus Curiaæ sæculari.

